BIBLIOTHECA UNIV. IAGELL. CRACOVIENSIS
35410
I
Mag. St. Dr.
P

THEOLOGIA.
N. 443

Biblioteka Jagiellońska
stdr0000452

V
B J
C

35410
I
780159

d9 v 17.

A. M. D. G.

SACRVM

Asceticarum Cogitationum

OCTIDVVM.

MDCCII.

BIBLIOTH. UNIV.

SACRUM
Asceticarũ Cogitationũ
OCTIDUUM:

Antecedentibus & Subsequentibus auctum.

à R. P. MARTINO THEOPHILO GRYMOSZ è Societate JESU,

Proficientibus in Via

Collegii Cracovien. Soc. JESU. ad S. Petri

DEI ACCOMMODATUM.

â Primo DEI-Hominis JESU OCTIDUO CONSUMMATO,

Anno 1702.

LUBLINI, Typis Collegii Soc: JESU.

Octo gradus erant, per quos ascendebatur: & introduxit me in atrium interius, per viá Orientalem. Ezechielis 40. num: 32.

Palmæ cælatæ in fronte eius (supple atrii) *hinc & inde: & octo gradibus, ascensus eius* ibid. n. 35.

Consummati sunt dies octo. ad nomen JESU. Lucæ 2do.

PROBATISSIMA Bonæ Meditationis effecta.

MEditatio, Mentem ex qua oritur, purificat. regit affectus. dirigit actus. corrigit excessus. componit mores, vitam honestat, & ordinat. acta recogitat. ut nihil in mente resideat incorrectum; aut correctione indigens. hæc est, quæ in prosperis adversa præsentit: in adversis, quasi non sentit. D. Bernard: lib: 10. de consideratione c. 7.

Hoc totum ante D. Bernardum de Meditatione compendio conclusit D. Augustinus homilia 4. ex 50. ubi ait. *Ille novit recte vivere, qui novit bene (supple meditando) orare.*

INCLY-

35.410 T.

INCLYTÆ
per omnia,
PROVINCIÆ
Polonæ Societatis IESV,
Omnia perenniter inclyta.

S*Acrum Asceticarum cogitationum Octiduum, Tuis summitto oculis, Æstimatissima vbivis Gentium Societatis Minimæ, non minor, at (modesto vtor verbo) Suppar omnibus aliis, per vtrumq; universi hemisphærium, dispertitis Provinciis, adamatissima mihi in Regno Poloniarum*, Inclyta Provincia Soc: IESU: mundi nostratis anima; undequaque circumjacentis, modò non invidi, perpetua panegyris *Non exerro, si etiam Te*, Cor IGNA-

TIANUM Seraphico flam-
mans ardore, *dico; cuius ben fi-
cio, literæ diu hic mutæ vocem: Scien-
tiæ, vigorem: Virtutes magnâ parte,
vitam; diviniora mysteria frequen-
tiorem sui vsum debent. Difficile est
pertexere quàm excelsa! quàm inso-
lita! quàm rara omnia, & DEO si-
millima, Divinissimi Patriarchæ no-
stri Spiritus hactenus anhelet coram
DEO! Sed non est quoq; facilè recen-
sere, quantâ felicitate Tu quoad o-
mnia, vno IGNATII animata Spi-
ritu, perficis vniversa, & singula:
vt eadem apud Te esse intelligam,*
omnia & unum. *Inter ipsa prope
confirmatæ Societatis IESV* [a] *initia,*
IESV *nomen STANISLAUM
KOSTKAM sibi,* [b] *& in STANI-
SLAO, Societati Provinciam in Po-
lonia initiávit. jam tunc ominante
cœlo, sub quocunq; demum Lechiæ*

a *Confirmata Societas 1540.*
b *Kostka in utero nomine IESV signatus 1548. natus 1549.*

Climate, Societatem Polonam ne uno vestigio discessuram à viis IGNATII, quæ à primis temporibus Natæ Confirmatæq; Societatis longè distare nolebat. Ad illibatam ignitarum meditationum lucem vidit annos suæ, vidit Divinissimus Patriarcha noster etiam posthumæ Societatis futuros, ut præsentes; tuos etiam vidit annos: & antequam esses, iam Te adamavit; quòd in Te, totum id illuminato cælitus mentis oculo spectaret cumulatissimè, quidquid sive virtutis heroicæ, sive zeli secundùm scientiam, sive sapientiæ desiderare in suis poterat. Invenit apud Te capacia pectora, orbe vastior ignei Patris Spiritus: at dum tempus aderat, infudit se totum, quia & recipi poterat, & exerceri.

Anno quo cœlestem Spiritum cœlo redditurus erat Beatissimus Pater, 1556.
Sũma sub sole Potestas PAULUS IV, *Illustrissimo ac Reverendissimo A-*

 LOY-

LOYSIO Lippomano Veronensium Antistiti, in Poloniam Nuntio Apostolico, vnum è primis decem Patribus, Alphonsum Salmeronem, repetitis vicibus celebrati nominis, Pontificium in Tridentino Theologum, adiunxit comitem itineris. Hic cum primigenio Societatis Spiritu primum ita prosperè pedem intulit Poloniæ, ut sicut Reverendissimus Antistes à latere Sedis Apostolicæ, ad Regnum; ita ille à latere IGNATII, potuerit dici Nuntius, ad Provinciam olim in Regno Poloniarum inchoandam. Et certè solida ac profunda impressit vestigia Sociis, Theoricis præcipuè & Ecclesiasticis, quæ hactenus manent in singulis vivida. Hinc est, quia bonitatem Societatis Polonæ, cum Optimatibus, adamant Boni, prædicant scientiam, Doctissimi; ingenii, sed magis virtutis sublimitatem suspiciunt, titulo & fortunâ Eminentissimi. Universi deniq; iam gratulantur sibi

Te

Te nunc domesticam, quam ante avebant in Salmerone diutiùs videre hospitem: vovebant quantocyùs in aliis habere Indigenam: nec elusi voto. Non multò enim post KOSTKA, quam in Lechia non inveniebat; sibi Societatem, Regno Poloniarum Societatis Provinciam, magnis itine- 1567.
rum laborumq́ impendiis quæsivit Romæ. Et hanc vbi Sanctus Tiro apud Sanctum Generalem BORGIAM pro se invenit! Tiro! & iam per omnia hominem egressus in terris! sanctè impatiens se censeri in Societate, non Societatem in Polonia: festinatis itineribus ad cœlestes ivit Spiritus. Ivit, & sibi impetratam 1568.
in terris à BORGIA: biennio post in cœlis Regno Poloniarum sub Generalatu itidem BORGIÆ Societatem 1567.
concedendam, à S. Patre, & Divinissima DEIpara Virgine MARIA impetravit; quæ sicut Poloniæ Regina, ita etiam Polonæ Societatis Mater

ter esse dignatur. An non istud ex Capite Angelici Adolescentis, Religiosissimi Tironis datur intelligere? qui cũ totus è Sacra Urbe redire nollet; remisit in Patriam Sacrum Caput; ut pateret, erectæ in Polonia Societatis, sub Divinissimo Patriarcha IGNATIO, quasi in fundamento Caput esse STANISLAI. Non est quòd revocem retròäctas tuis cum meritis ætates, Inclytissima Provincia. Non habent tantùm verborum anni, quantùm habebant, habent, habebuntq́ꝫ tuorum singuli dies bonorum operũ. Soli Prometheus tædam admoverat, ut simulacro, quod formaverat, cælesti igne pro Spiritu ad vitam prælu ceret. Ignem tu cælo missum Poloniæ intulisti; & grande Reipublicæ corpus, eâ felicitate animâsti, qualem nec fabulæ fingere potuerunt. Erexit caput supra Athenas & Latium Sapientia: supra Numarum Trajanorumq́ꝫ solia, Probi-

tas

tas: vtraq; supra orbem; Te vtriq; subserviente. Septenas *vix imple-sti in Regno Olympiades, & jam inter Apostolicos labores superadim-pleta lucris animarum, ac à Balthi-de ad Euxinum, ab Euxino ad vsq; Mare Album dilatata, geminari debuisti; cùm ampliatam* Spiritûs 1608.
amplitudinem, unius Provinciæ spa-tia tenere non potuerint. Gemina-vit Serenissima ac Orthodoxa Res-publica Polona, Societatis Provinci-am; Provinciis domicilia geminavit; & zelo laboriq; Tuo Apostolico, or-bem scripsit! Ad littus allisum ma-re, exundantibus limphis tumulum in arenis nanciscitur. Vltra maria, in orbes alios, Tui, animarum lucro-si, effluunt labores. Zelus Tuus ô Polona Societas, *non habet littus! invehit illuc etiam opes Fidei, quo non Pontus aquas. Mille mundi, votorum tuorum gutta sunt. Pinxit Rosinus, pinxit integerrimus, inno-*

censq;

censq; Męcinii sanguis, deformi Iaponi purpuram, & natalem eius eluit nunc nigrorem, ut saltem olim faciat cœli Candidatum. Disceptabunt perpetuâ lite sæcula, clariùsne à superstitiosè adorato Sole, quàm à Poloni Poli igne, (nosti quos hîc intelligam,) potuerint effulsisse Persæ; & circumjacentes Georgianorum, aliorumq; similium Provinciæ. Moldavia & Tauricana Chersonesus tuos toties combibit sudores. Non est cur tuis percensendis immorer in lucra animarum curis, quas ad calculum vocare, difficiliùs est quàm aut Erithræi opes, aut apes Hymetti. Sic nexa ex studiis studia, implicatiq; laboribus labores, apud te perpetuantur! Porrò integrorum & grandium voluminum res est evolvere, quo Tu Spiritu libros concinnas; zelo, Apostolicos; selectâ frequentiâ, singulares; elegantiâ, suavitate, eruditione sacrâ æquè ac profanâ, theori-

câ

câ ac practicâ: quasi ipsa conscriberet sapientia; facilè primos. Materiæ dignitate, ingenii subtilitate, nulli populo, nulli ævo secundos. Sæcula in te scribunt alii; alii scribunt sæculis. Ornant Te omnes scientiæ, ornas Tu omnes ac singulas, dum eas docto etiam stylo excolis. Illud autem unum, tot laborum, tot sudorum, tot fatigationum, caput est; ut schismatis vitio rescissa membra suo Capiti adunentur: hæreses profligentur: vitia exstirpentur: virtutes, adultis maturescant: nascentibus, subnascantur, subnatæ crescentibus educentur: eruditio augeatur; aucta conservetur. Spiritum in Te, quo, sive pro sacris detonas rostris; sive pro Philosophicis, Theologicis, concertas exedris; sive pro eruditis, inter gymnasia, agis sæculis; meritissimum IGNATII Spiritum omnes illi venerantur, quibus mentis oculum livor non evariat. Spiritus

itaq;

neq; IGNATII, quo agis & ageris; nec xenodochia, nec carceres omittendo, Spiritus planè Tuus, ipse totum sit elogium Tuũ. Omnia simul Tibi elogia, cùm hoc Tuum scripsi. Admitte iã Asceticas Tuo Inclyto Nomini *dicatas cogitationes: & indignas animari; IGNATIANO, quo aestuas Spiritu, tuoq; favore non renuas animare. Unum id deposcit*

Dabam Lublini 1702. 31 Julii.

Ultimus è Tuis

M. T. G. S. J.

SACRUM

SACRVM
Otii Religiosioris Octiduum ingressuris,

Cum profectu in Spiritu,
Utramq; à Domino salutem.

1. TRIDUUM OLIM MEUM, sub oculos religiosos exclusit typus; incipientibus viam DEI, & sua renovantibus vota DEO. nunc simili sub titulo, *Sacrum Octiduum, ad domesticorum DEI instantiam*, protrudo in via DEI proficientibusq́: quibus nec Spiritûs, nec sermonis sublimitas speretur: quia quod feram, aut offeram perfectis, nihil ferè in mea spiritûs exilitate invenio.

2. Plura antè, ad triennium coordinavi distincta tridua. quia mihi non contigit, nisi unum legisse triduum R. Patris Barry omnibus absolutum numeris, & placitum omnibus.

3. Cùm verò nunc plurium, de sin-

singulis ferè Societatis Provinciis, asceticorum; diverso idiomate, plura solitudini Octiduanæ accommoda, dignissima, planè in manu habeam opuscula; censui illis publicam lucem emeritis, satis unicum meum, addere; & typo in latium è tenebris educere, octiduum: qui pro gente Polona, quintuplex non ita pridem impressi.

4. Nollem cogitationes multùm dissipatas importari ad Sacrũ collectionum octiduũ. Nollem & collectas sub octiduum, mox ab hoc finito, in varia dissipari. hinc est, quia aliqua præmisi octiduo, aliqua subjeci, antè & post, expendenda utiliter. præmissa facient, ne homo omnino dissipatus ingrediatur collectiones; & finem collectionum, ante ipsas collectiones intelligat. subjecta juvabunt, ne quæ magno studio sub Sacrum octiduum, collecta sunt, nullo postmodum negotio dissipentur.

5. Si quis autem, magno ac liberali animo, quod S. Pater svadet annotatione 5ta, accedens ad exercitia;

non

non solùm octo, verùm etiam decem dies *sedere elegerit solitarius*, & *levare se supra se*, ille non modò decem, at etiam duodecim dies solitudinis ex hoc libello coordinare poterit, si præmissa & subjecta Octiduo, in dies solitudinis assumpserit disposueritq́;.

6. In toto hoc opusculo, vestigiis Sancti Patris insistere volui. ubi non satis feliciter id potui, meam Asceta lector bonam acceptet voluntatem: & à Magno Spiritûs Magistro, Divinissimo Patre JGNATIO, majorem petat, speret, & in bona spe exspectet felicitatem.

7. Peridonea omni spiritui excolendo sua exercitia S. Pater in quatuor subdistinxit hebdomadas. Octiduum meum in duas subdivisi partes. Prima, omni hominum statui subservire potest. Secunda ferè religiosis, præcipuè tamen illis, qui religiosam vitam in Societate JESU profitentur, est accommodatior.

8. Mysteria vitæ Christi Domini in exercitiis quatuor hebdomadarum dispo-

diſpoſita, vix obiter attingo: tum quia brevitas, ſolitudinis octiduanæ hoc depoſcere videbatur: tum quia hæc myſteria omnibus religioſis, & in Societate JESU minima viventibus, quotannis reaſſumuntur ſub tempus Sacri adventûs, Sanctiorum eſuri lium; & ad alia feſta, myſteriis Vitæ Chriſti per Eccleſiam DEI deſtinata.

9. Meditatorum genus triplex eſſe, mihi perſvadeo. Alii ſunt, quibus ſola placet brevitas; nec immeritò. quia ex breviſſimis punctis, ſæpe & ex uno verbo, plura eliciunt ſolatioſa, ſuo in ſpiritu profectui neceſſaria. pro his eſt & S. Pater, qui annotatione 2da brevem nonniſi declaratiunculam punctis adjici ſvadet. Alii ſunt, qui niſi totum quantum eſt punctum, auctor explicuerit, libellum ejus tanquam ſterilem, faſtidiunt etiam oculo delibare. Medii hos inter reperiuntur, qui compendio non ſatis contenti, plura volunt quàm Synopſis ferat. nolunt omnia, quæ typus permiſſu auctoris liberaliùs preſſit.

10. Omni-

10. Omnibus his, quantum in me cum auxilio gratiæ DEI fuit, consultum esse volui. De 1mo meditatorum genere ut bene merear, singulis meditatiunculis Synopsim præmisi: aliorum judicio, hic parcus; illis fortè sufficiens. Secundis, in spiritu abundare volentibus: ut gratiam faciam, meditationum puncta liberaliori typo dedi. Tertio meditatorum generi, æquè cum primis laudabili, allaterales addidi numeros: ut ubi justò prolixior videtur meditatio, aut punctum; etiam in primo puncto subsistatur, ad eum allateralem numerum, ad quẽ, & horæ tempus defluxerit, & meditator assecutus quæsitam devotionem sibi satisfecerit, elegeritq; (annutu S. Patris additione 4ta) conquiescere, sine anxietate transcurrendi reliqvum.

11. Proposita practica, singulis adjeci meditationibus: non quòd alia nolim fieri, sed ut subveniam illis, quibus aut distractis, aut tantùm non in extasim raptis non facilè obvenit,

quid

quid à contemplatione finita, in praxi tenere debeant.

12. Singulis octidui diebus, plenam reflexioni horam, cum suavitate spiritûs, lenioriq; motu impendendam exigo: quod nemo unus mirabitur, qui legit, quia S. Pater olim quinque horas meditationi sub exercitia destinabat. ut videre est in eius libello, præcipuè initio hebdomadæ 2dæ.

13. Quod triduo dedi, negavi octiduo. illic annotavi, hic omisi annotare lectionem libri spiritualis, quæ tamen omnino omitti non debet. Citra designationem libri assumendi, svadeo non plures, sed unum sub octiduo legendum asceticum librum, qui hominem in spiritu promovere possit. Verum quidem est, quia sicut dantur plures semitæ, quæ ad unam ducunt viam: sic ad unum in spiritu profectum, omnes ascetici collimant auctores: at etiam hoc non minùs verum; quia quemadmodū uno itinere intento, non bene simul pertētantur semitæ plures; bene una, certa,

de-

delecta tenetur, quâ ad viam & terminum viæ perveniatur. ita vix commodè in uno octiduo proficiet homo in via DEI, modò hos, modò illos ascetas (qui in aliud tempus referri possunt) delibando, & ex delibatis vix aliquid in succum perfectionis elaborando.

14. Timeo unius libri lectorem, non nemo ajebat. fateor, Amo unius libri solidè in spiritu promoventis sub tempus octidui lectorem. Solidum est, excitando, promovendo, conservandoq; spiritui, R. Patris Nicolai Lancicii opusculum, de Recollectione octiduana. Si habetur ad manum, assumatur in octiduum, tribus primis capitibus ante octiduum relectis. Mihi verè pro libro spirituali satis esset, à Sede Apostolica, & omnium experientiâ approbatus, aureus exercitiorum S. Patris libellus; ubi plurima dogmatica, exercitiis interserta reperiuntur, quæ insigniter ad progrediendum in via DEI, hominē erudiunt.

15. Distributio temporis, sub col-

lecti-

lectiones ; non ignota his, quibus dedico octiduum. Devotio singulorum, seliget Sanctos Patronos, si non ad singulas meditationes, saltem in singulos octidui dies : & in pervigilio Sacri Octidui, omnes profanas cogitationes, omnia hominis distractiva emovebit.

16. Tabellam meditationum, ultimis dedi paginis. non ut ante solitudinem relegatur; sed ut à collectionibus finitis, illa meditatio, quæ suî desideriū reliquit, faciliùs inveniatur.

17. Sicut enim S. Pater annotatione 11. *expediens esse* ait *exercenti se in prima hebdomada, nescire quid in secunda sit acturus*; ita vix expedit ante solitudinem omnes prænôsse in titulis meditationes.

18. Unum restat, quod ab ingressuris Sacram octidui solitudinem peto. Syllabus eorum, pro quibus orare, cæloq; ardentius adspirare instituent, suâ dignatione includat etiam Octidui auctorem, idq; sive in vivis sive in mortuis ille censebitur.

FACUL-

FACVLTAS

Reverendi Patris Præpositi Provincialis, Polonæ Provinciæ Societatis IESV.

Cùm Sacrum Asceticarum Cogitationum Octiduum, antecedentibus & subsequentibus auctum, à Patre MARTINO THEOPHILO GRYMOSZ Societatis Nostræ Sacerdote & Theologo, proficientibus in via DEI accommodatum, aliquot ejusdem Societatis Sacerdotes Theologi ad revidendum deputati recognoverint, opportunum fore usui censuerint, & in lucem edi posse probaverint: potestate mihi factâ ab A.R.P. Nostro THYRSO GONZALEZ, Societatis Nostræ Præposito Generali, facultatem concedo, ut typis mandetur: si iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Jaroslaviæ ad S. JOANNEM 27. Novembris 1702.

TOBIAS JASŁOWSKI.

APPROBATIO

Illustrissimi & Reverendissimi Ordinarii.

CASIMIRUS à Lubna LUBIENSKI, DEI & Apostolicæ Sedis gratiâ Episcopus Heracleensis, Suffraganeus, Canonicus, Sede vacante Episcopatûs Cracoviensis, ac Ducatûs Severiensis, Generalis Administrator.

SACRUM ASCETICARUM COGITATIONUM OCTIDUUM, antecedentibus & subsequentibus auctum, quod R. Pater MARTINUS THEOPHILUS GRYMOSZ Societatis JESU Theologus concinnavit, quodq; ejusdem Societatis Theologi, dignum luce publicâ & suo Auctore judicârunt; authoritate nostra administratoriali approbamus, & imprimi concedimus. Datum Cracoviæ. decimâ quartâ Mensis Junii. Anno Domini Millesimo Septuagesimo secundo.

Idem qui supra. (L.S.)

PATERNA
Sancti Patris IGNATII
Ante Sacrum Octiduum
COMMONITIO EXPENDENDA.

Accedite ad eum, & illuminamini; & facies vestræ non confundentur. Ps. 33. v. 6.

VBi adverte, quòd unus ex tribus coalitus collectionum finis, prædictis verbis intimetur. Primus. cum auxilijs gratiæ DEI, quàm proximè accedere ad DEUM, JESUM: omni meliori modo abolitis recessibus pristinis à DEO: siquidem mensura quædam perfectionis est accessus ad DEUM, sicut recessus imperfectionis. Secundus. Ulteriori vitæ nostræ sanctiùs agendæ, illud quantum in nobis est, cum auxilio gratiæ, emereri apud DEUM lumen, quo via vitæ nostræ in singulis dirigatur, ad observandas, custodiendas, exequendas justificationes eius. Tertius.

Eam posthac DEO vivere vitam, ut in die judicij, de gratia ejus, ab omni confusione, quoad suas facies, DEO homo fidelis possit esse liber. inter cætera, ad hæc tria, toto sacri octidui tempore, tanquam ad unam metam, debet collimari.

Necessitas accedendi ad DEUM JESUM. SEU MEDITATIO

Super hoc verbum. *Accedite.*

Ipsum periculum, perurget nos ut accedamus ad DEUM, progrediendo in via DEI incessanter. 1mo. quia pereunt qui se elongant à DEO JESU. 2do. recedentes autem ab eo, in terra, non sine suo periculo, scribuntur: 3tio, Non progredi tandem in via DEI, Iudice S Bernardo est regredi, quod idē est ac recedere, & saltem inchoativè se elongare. His expensis adhucne omittes aliquando progredi in via DEI? jam meditare.

Oratio præparatoria solita.

PRæludio I. Imaginare quòd S. Pater omnibus aliis, cæteroqui etiā bonis & meritorijs negotijs, te subducturus, in sacram solitudinem, ad

sacrum

ſacrum otij religioſioris octiduum, te pro ſvavitate ſua paterna, antè cōmonet: *Accedite ad eum.* Supple JESUM.

Præludio II. Conſveta petitio gratiæ Divinæ, ad penetranda prima Paternæ commonitionis verba.

Puncto I. Anima non pedibus movetur, ſed affectibus: ait *D. Auguſt.* Forſan elongas te affectu à DEO, cui dici debet *Accede ad eum.* examina ſingulos, quò te tui ferunt affectus, & vide, ne pericliteris. Providētiſſimus in Societatem ſuam, ſub nomine JESU pro Eccleſia DEI militantem, S. Pater JGNATIUS tibi & tuo videtur timere periculo, illique certo; dum ante ipſum aditum ſolitudinis te commonet de acceſſu ad DEUM JESUM, *Accedite ad eum.* Gratus vive tuo Sancto provido Patri, ne, quantum in eo eſt, ullum unquam ſubeas periculum. Vis tuum noſſe periculum, ni ad JESUM in dies propius accedere velis? manifeſtum illud, certumq́ certitudine ſub

sole maxima, quia certitudine fidei.
Ps. 12. *Qui elongant se à te peribunt*, ait Rex
v. 27. Propheta. Ecquod majus timeas periculum quàm perire? quod certius exspectes, quàm quod sacra comminantur eloquia? & hoc jam imminet homini, si non accedendo ad DEUM, JESUM, saltem inchoativè elongetur ab eo. ne vel inchoativè pericliteris, omnino accedere velis. Hæc puncto. Plura de his legere si libet, licet.

Rex Propheta, Vir secundùm cor DEI David, utinam similes illi vivamus quoad secundum! illuminato divinitus suæ mentis oculo, omnia & singula dispexit sæcula, singulas temporum differentias in singulis discrevit sæculis. attentus ad lumen DEI, observavit viatorum tendentium ad nomen comprehensorum vestigia, vix non singula; unam hanc conclusurus DEO jubente veritatem, *Qui elongant se à te peribunt.*

Respexit ad ea quæ retro fluxere

sæcu-

ſæcula. Vidit intuitive illa, quæ ipſe vixit tempora. ad anteriora ſe extẽdens, & futura ex officio Prophetæ vidit prævidítq́; DEO id concedente. ac ubi in ſingulis differentijs tẽporum & ſæculorum, advertit elongatos à DEO periiſſe: præfatam veritatem fidei, omnibus ad cautelam conſignavit, probatam ſæculorum inductione concluſamq́;.

Fratricida Caim, egreſſus à facie Domini, vagus & profugus in terra, elongans ſe à DEO, ad ipſa initia vix nati mundi, periit æternùm miſer, de ſæculo naturæ. In ſæculo legis Rex Saul, prævaricatus ſermonem Domini, peccans elongansq́; ſe à DEO, à regno reprobatus, etiam æterno, periit.

Ad ipſa jam ſæculi gratiæ exordia, Iſcariotes de primo Sociorum JESU Collegio Apoſtolico abiens, & elongans ſe à JESU, miſerrimus anteſignanus ſacrilegorum, in Euchariſtico Chriſto ſumendo periit! Sic

firma, ut vides, ſibi conſtitit, conſtat, conſtabitque æterna fidei veritas. ad quam admirabundus Rex Propheta
ibid. exclamavit. *Ecce qui elongant ſe à te peribunt.* Expergiſcere ad emphaticè demonſtrativam certi periculi Prophetæ voculam *Ecce qui elongant ſe &c.* & ne ſimili, cum aliis involvaris, malo; quia forte tuâ etiam experientiâ, elongantes ſe à DEO, JESU, non pauci periere; cave, ne unquam à DEO, ne unquam à JESU, vel tantillum elongeris. Non elongaberis, ſi hoc obſervabis, quod ſvavitate paternâ tibi innuit S. Pater, Sacrum otii religioſioris octiduum ingreſſuro: ſi facies ut inceſſanter accedas ad DEUM, accedas imitator vitæ JESU ad JESUM. Statue quod mota in bonum ſvadet voluntas, & exequere.

Puncto II. Nunquam & nuſquam in ulla occaſione elongatum te à DEO advertis? DEI hoc donum ſpecialiſſimum agnoſce. plus invenis,

nis, qui in Societate minima ſub nomine JESU vivis, ubi *fructus labiorum pax*, expende. tuo invenis ſolatio, te non *in illis qui longè*, ſed in Iſaiæ 57 v. 19.
his cenſeri *qui prope ſunt* Dominum, propè JESUM; quibus & JESU propitiatio appromiſſa, præſtò ſemper eſt. Vtinam verò in his qui *propè ſunt*, & pro *fructu labiorum pacem habent*, ſic cenſearis, ut nullo unquam ne quidem uno receſſeris paſſu, à JESV, ab imitatione vitæ JESV. Vtinam ſic propè DEVM, JESVM inueniaris, ut S. Pater non habeat opus dicere, *accede ad eum.*

At cum hoc de ore S. Patris ad præludialem Sacri Octidui meditationem accipis, *Accedite ad eum*, omnino expedit, ut te attentiùs introſpicias, an aliquo paſſu non receſſeris. quid ſi recedas hic & nunc actu? Quod ſi inveneris te aliquantulum à DEO recedentem, adverte, timeq; tibi, ſimile primo, non minoris formidinis, ſecundum imminere periculum

culum illud, quod mæſtus olim ſupra DEI populum luxit Jeremias, his conceptum verbis: *Recedentes à te in* Jeremiæ 7 *terra ſcribentur.* Expende, utq; hoc alterum evadas periculum, in anima tua conclude, par eſſe, ut S. Patri, propiorem tuum acceſſum ad DEVM, ad JESVM exigenti, obedias; & ſub hoc Sacrum otii religioſioris octiduum imminens, quantùm cum gratia DEI poteris, accedas quàm proximè ad DEVM, JESVM: ac omnes, ſi qui fortè ante fuerunt receſſus à DEO, omni meliori modo abolere ſatagas.

Puncto III. Si per ſpecialem JESV propitiationem, appromiſſam in Societate viventibus, tibi etiam exhibitam, illud in anima tua reperis, quia nec per venialia notabiliùs receſſiſti ab amuſſi tuo inſtituto tibi præſcripta: adora pronus JESVM, ſuis propitium. at nihil tibi, totum propitiationi JESV: totum liberaliſſimo DEO, de theſauris ſuæ bonitatis,

tatis, gratias in te profundenti, tribuas. Vide tamen ultra, an non substiteris saltem in via perfectionis, via imitationis JESV, via DEI; & an sic non destiteris aliquando ab accessu ad DEVM?

Hoc quidem minimum quoad speciem apparet malum: rem tamen meliùs penetranti, si non una, certè prima malorum omnium & periculorum prædictorum origo est, segniter quandoque substitisse in via DEI; quod forsan etiam tibi contigit. Vtique cui dicitur *Accede*, saltem convincitur eo loci substitisse, ex quo tenebatur ulterius progredi; aliàs, ly *accede*, esset verbum otiosum; quale Cælitibus affingere omnino nefas. S. Pater, te cum aliis, ante ipsum solitudinis aditum his commonet; *Accedite ad eum*, puta JESVM. Otiosum ne dixeris commonitionis paternæ verbum. reflecte ergo te supra te, & si contigit substitisse, dole; deprecare; meliora ex hinc pollicere.

Has enimverò in via DEI, via salutis, subsistentias; vel ut rei exprimendæ loquar, has à profectu in spiritu desistentias, si non unam, certè primam supradictorum periculorum originem hinc agnosce.

Vtiq; probatum omnibus Ascetis, illud Divi Bernardi principium; *In via DEI non progredi est regredi*; & tibi acceptum est? Iam vide. Regredi & recedere, toti Latio Synonima sunt. literis enim diversa, rem sonant omnino eandē. Rursus Recedere ab aliquo, est elongare se ab illo tantum, quantum recessisti. Si igitur admissâ probatissimâ ascetis Majore, *In via DEI non progredi, est regredi*; in via DEI, in qua hactenus, nihil ad sanguinem, nihil quod minùs, ad sudorem; nihil quod minimum est, ad defatigationem, sustinuisti; & non semel, solâ tuâ segnitie quasi lassus substitisti, ac forsan etiam num subsistis; certè non progrederis. Omittis progredi? convin-

vincit Divus Bernardus, quia regrederis; regrediendo recedis: recedendo elongas te à DEO, cui appropiare debebas. & sic te ipso judice convictus, subis & hoc periculum, ut nomen tuum, quod fortè jam albo cœlitum illatum, aut proximè inferendum fuit, in terras dejectum, in pulvere scribi incipiat, juxta illud. *Recedentes à te in terra scribentur.* & ipse à perditionis periculo imminente debeas timere, iuxta illud, *Qui elongant se à te peribunt.* nisi tempestive impendentia hæc mala amoliaris.

Periculum recedentium à DEO, JESV, declarabit infra reflexio. nunc statuenda statue, ne unquam à progressu in via DEI desistas.

Colloquium institue ad Divinissimam DEI-Param Virginem MARIAM, cui sine ullis morulis, viam DEI in hac vita decurrenti cœlum olim accinebat, *Quàm pulchri sunt gressus tui Filia Principis* & supplica ut quo-

ad

ad fieri cum gratia DEI poterit, ejus insistas vestigiis.

Propositum Practicum. Semper in via DEI progredi, ut continuò propius ac propiùs accedas ad DEUM.

Tessera hujus diei.

Vel hæc subserviens accessui. *Incorruptio facit esse proximum DEO.* Sapientiæ 2 num: 20.

Vel hæc de recedentibus *Terram aspicientes, recedunt. D. Chrysost:* Homil: 79. circa medium.

Cave terram continuò aspicere. Sed cum Divo JGNATIO cœlum sæpius intueri velis, ne recedentibus à JESU accenſearis.

Necessitas illuminationis à DEO quærendæ, SEU MEDITATIO. Super hoc Verbum *Illuminamini.*

Illuminatio mentis sub Octiduum Sacrum omnino quærenda imo. Quia S. Pater noster, tanquam aquila grandis, vix pro suis habet, qui ad Solem Iustitiæ nictitant, & illuminari non amant. 2do. Et DEUS, qui *nos vocavit in admirabile lumen*, non vult nos esse in via salutis talpas, sed vult esse filios lucis. 3tio. Præmonet autem JESUS, ut videamus insuper, *Ne lumen quod*

in nobis est tenebræ sint. Ut legitimo quæras illuminari lumine, meditare.

Oratio præparatoria solita.

Præludia eadem, quæ antè fuerunt.

Puncto I. Cogita. Quia DEVS dum te Societati Filii sui JESV adlegit, mox Sancto Patri JGNATIO educandum, & olim educendum inter filios æternæ lucis, commisit. penetra hanc pro condigno tuam felicitatem. adora DEVM, in spiritu verus illius adorator. Et illud primæ Societatis JESV, Societatis Apostolicæ eucharisticon, ore cordis in veritate, DEO auditori, exclama: *Benedictus DEVS qui me vocavit in Societatem Filij sui.* hyperdulicè adora Beatissimam Societatis JESV Matrem; ponè eam, Sanctum Patrem tuum profunde venerare.

Tum cogita, nostine saltem de prima, ut dicitur, facie, S. Patrem tuum? si hactenus imitari eum neglexisti, saltem in illuminatione à

DEO

DEO quærenda; certè vix nôsse voluisti. S. Pater noster, est illa, de qua Propheta ait, *Grandis Aquila*; adeòq; nos tanquam suos pullos, vult ad Solem Iustitiæ experiri: ad quem si mentis oculum non intendimus, & illuminari, præcipuè sub meditationes, detrectamus; vix nos pro suis agnoscit. Accedamus ergo ad JESVM, & illuminemur: sic volente S. Patre. hæc puncto sufficiant.

Vis pleniùs videre quod S. Pater quoad prædicta sit Aquila Grandis.? lege & expende prophetiam.

Ezech. 17. v 3. *Grandis magnarum alarum Aquila, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate: venit ad Libanum; & tulit medullam cedri.* hactenus Propheta: singula certè Sancto Patri applicabilia. Sed mitte cætera. Mitte quòd S. Pater sit Grandis Aquila, utriusq; hemisphærij orbem, suis laboribus, per sua membra, longo ductu, per terras, maria, insulas, disposita, hactenus implens. Mitte

quòd

quòd hæc Grandis Aquila in oculis cœli & terræ, plena ſit plumis. plumæ ſublevant viventes volucres in altum: omnia, quæ ad DEVM elevare poſſint hominem, media, Sanctus Pater in ſua, aut potiùs in Societate JESV, habet, tàm pro ſuis domeſticis, quàm pro illis, qui ſuorum obſequio utuntur. ſibi id loci, tàm domeſticus, quàm extraneus imputet, qui humi repit. Sanctus Pater Grandis Aquila eſt, plena varietate quoad unam Societatem minimam, JESV nomine conſignatam; plena varietate perſonarum, ex diverſis nationibus in unam Societatem, in unam etiam provinciam convenientium. Grandis Aquila, plenâ varietate graduum, plena varietatè officiorum, plena varietate obſequiorum in rem proximi, & commune bonum Eccleſiæ DEI. Sanctus Pater Grandis Aquila, venit ad Libanũ, cœlo planè conterminum montem; montem perfectionibus tot ſancta-

rum religionum elevatum: & qui aquila ad Libanum, inter ſublimes venit Sanctorum Patriarcharum cedros; mox tanquam apis minima, argumentoſa, effectus, quæ ſuo eſſent accommoda inſtituto, quoad perfectionem, non quoad regulas, colligens; tulit medullam cedri. Mitte & illud quòd Sanctus Pater noſter ſit Grandis Aquila, magnas habens alas, quibus in ſalutem proximorum, in ſuis hucuſq; volat per univerſum, & ſub DEO ſingulis advolat adjutor in opportunitate. Mitte has alas grandis aquilæ magnas, quibus totam quantam, latè diſperſam per univerſum Societatem minimam, protegit in ſpiritu, & fovet Sanctus Pater delicatiùs, quàm ſuos gallina vel protegere vel fovere amet, aut ſoleat pullos. O nôſſes tuum eviſceratæ in te charitatis Patrem! quomodo eius ſervares ſermonem, Societatis inſtituto concluſum! quomodo amares amabiliſſimum in paterno inſtituto Patrem! Sed

Sed missis his omnibus id unum ad prædicta apprehende necessariū, quòd Sanctus Pater noster, ut Grandis Aquila, à primo suæ conversionis initio, obversum ad Solem Iustitiæ, irretortumq; habens mentis oculum, omnes eos quicunq; in Societate JESU, ubivis locorum vivunt, & vivere volunt, sive domi, sive foris; ad JESVM secundùm quòd DEVS est Solem Increatum; ad JESVM secundùm quòd Homo est, Solem Iustitiæ nostris obtutibus per assumptam naturam humanam attemperatum, tanquam alis magnis sublevat, suis & quotidianis, & per semestria incidentibus triduanis, & per annos decretis à Societate octiduanis exercitiis, ut illuminentur, ac pupillam oculi interioris, oculi mentis, in DEVM in JESVm intendant. Et si quos Sanctus Pater, Aquilæ descriptæ nomen adeptus, adverterit in exercitiis suam interioris oculi pupillam à DEO, à JESV Sole Iustitiæ

avertere, alióque obvertere: imitator longanimitatis & patientiæ DEI, sustinet quidem per plures annos; sed ubi suâ longanimitate nihil proficit, tandem vix pro suis agnoscit, è suaque domo, tanquam tenebriones, Soli Iustitiæ adspiciendo inassvetos, manu mittit. Vide quæ in te Sancti Patris tui, sub DEO, longanimitas, & patientia fuit, & hactenus est! Si tamen illuminari fugiebas, time tibi, & contritus, accede ad JESVM, sub hoc Sacrum Octiduum, ac illuminare: quod vult Sanctus Pater.

Puncto II. Dole inprimis eam invaluisse infelicitatem inter homines, ut in iis quæ negotium æternitatis concernunt, ferè similes talpis vivant; & quoad æterna vix quærant illuminari: in rebus autem cum tempore diffluis, lynces aut aquilæ esse percupiant. plus dole: quia iidem, si quid de vanitatibus sibi comprehendisse videntur, iam contenti, non modò cum volucribus, sed cum aqui-

lis

lis cæli volare videntur. videt ridetq; cœlum hos miseros, tanquam vespertiliones, umbras temporalium nocturnas circumvolare. ridet, an magis dolet, quia ad Solem Iustitiæ, non minus nictitant, quàm noctuæ ad commune omnibus luminare. ubi autem res salutis est, & negotium vertitur æternitatis, vix non cæcutiunt miseri homunciones; nec tamen illuminari quærunt. vide ne his accensearis.

Cogita ultra. quia nec DEVS JESVS, nec S. Pater aliter te vult esse in suis, quàm ut quæras illuminari. Parum est, quia DEVS noluit te talpam, aut bubonem vel noctuam, lucis etiam communioris refugam esse: sed hominem te fecit, cui & sine exterioribus oculis nato, assolet mentis oculum in viam salutis dare perspicacem. ama DEVM, salutis hominum amantem: at simul vide, tuam salutem omnino ames. parum sit & hoc interim, quòd DEVS noluit

luit te de illis esse hominibus fidei veræ exsortibus, quibus in hoc caliginoso non adlucet lucerna fidei: sed in suo populo fideli te recensitum, nasci, vivereq; voluit. plus adhuc fecit in gratiam tui, quòd non omni homini fecit, quia ex ipso fidelium censu, te in populum electũ adscivit: & de filiis sæculi, quibus non rarò pro luce, umbra illudere solet, inter filios lucis eduxit: *ut tua semita vitæ quasi lux splendescat & crescat, usque ad perfectum bonæ* æternitatis *diem*. Et non quæres adhuc illuminari à DEO tuo, qui non tenebrionem, sed lucis filium te esse voluit. JESVM intuere qui & vocavit, & admisit te in admirabile lumen suum. in illo te conservat & fovet hactenus, dum sub Sanctissimo pariter ac Serenissimo suo Nomine vivere facit, quòd itidem non omnibus concessum etiam tecum vocatis. Exosculare dexteram DEI JESV, quæ fecit virtutem in te, è numero fili-

filiorum sæculi educto & conservato. debitæ gratitudinis tributum pende JESV DEO, cujus Nomen pro Sole Oriente tibi adlucet; & illuminari omnino quære, ne de te olim bonus JESVS quæratur, *Filii sæculi*, illi qui mansere in sæculo, lucidiores sunt, *filiis lucis*, quos evocavi in admirabile lumen Nominis mei.

Sanctus Pater, illuminari nos magis & magis omnino, percupit à DEO JESV, qui lumen est de lumine. certè enim non vult Societatem minimam esse Liam, ad Solis obtutus oculis lippientem. Vt Societas minima illuminetur, S. Pater supplex petiit & impetravit à Patre luminũ DEO, commendationem suorum JESV. Ex impetrata commendatione Abæterni Patris, obtinuit propitiationem JESV, & nomen JESV, super minimam Societatem invocandum: obtento, invocato JESV nomine, unicissimum id à nobis omnibus exspectat, ut quicunq; in Socie-

tate

tate minima vivimus, Solem Iustitiæ JESVM, continuò cum auxiliis gratiæ DEI, imitatione JESV, JESVM in operibus nostris manifestemus. Facimusne id, quod vult DEVS, vult JESVS, vult Sanctus Pater, ut incessanter accedendo ad DEVM JESVM illuminemur? Saltem exhinc DEO, JESV, Sancto Patri, quo ad hoc illuminari nobis indictum, correspondere velimus.

Puncto III. Lumen tibi in via DEI vides, an fortè opinaris, adesse? & cùm illud sit de genere qualitatis; sub octiduum, & aliàs intendere statuis. bene hæc omnia, si ita sunt. Sed insuper cautelam à Christo præ-
Luc. 11 monente hic & nunc accipe: *Vide*
v. 35. *ne lumen quòd in te est, tenebræ sint.* addo; vide ne dum lumen intendere paras, tenebrarum intensionem facias. Jam cogita illa, quæ nostræ sunt, si non negligentiæ, saltem inadvertentiæ. Sæpè nobis videmur *in luce*, & quidem satis intensa, *filii*

lucis

lucis ambulare, cùm interim non absimilibus, quàm olim Ægyptiacæ fuerint, hæreamus in tenebris. innuo aliqua, quæ verè ſunt lumen; & aliqua, quæ videntur eſſe lumen & non ſunt niſi tenebræ. DEO ſi ſapis, illud ſequeris, hoc fugies.

Inſpirationes DEI; boni Angeli, Angeli *lucis*, excitationes ad bonum conſtanter in via perfectionis, proſequendum; lux ſunt. Suggeſtiones ſathanæ, transfigurantis ſe in Angelum lucis; ſuggeſtiones initialiter quaſi bonæ, in exitu peſſimæ; non lux ſed tenebræ ſunt. Tenebras experieris, ſi acceptas quod Angelus tenebrarum ſuggerit. Dogmata vitæ ſanctiùs agendæ, quæ è Chriſti doctrina deſumuntur, *lux* ſunt, & lumen verum. Axiomata politica, è ſenſu ſæculi religioſo concluſa, paſſim lumen eximium videntur, & in termino vitæ evaneſcunt, nec ſunt niſi tenebræ. experti hoc tot alij, clauſis in mortem oculis: vide ne tum demum & tu experiaris. Exé-

Exempla constanter bona, in bonis adamussim humanæ vitæ, vitæ Christianæ, vitæ religiosæ, secundùm suum institutum sibi constantia, lux sunt. Sequiora, de Synagoga Libertinorum, in quacunq; via, sive humana, sive Christiana, sive religiosa, secundùm principia eorum formata exempla, crede, vide, & experieris non esse lumen sed tenebras.

Lex religiosa, est lux & lumen: juxta illud Sacri eloquij, *Lex lux & via vitæ.* expende. Lex spiritûs privati, ad licentiam magis, quàm ad libertatem filiorum DEI tendentis, lumen videtur esse, & non est. quia lex omnibus communis, lux est etiam tibi, qui eâ, in qua vivis, communitate, contineris. alia, quam tibi judicio privato formâsti legem, dissonam legi communi, tibi videtur esse lumen, in re autem lumen illud, illud tenebræ sunt; monet igitur Christus, *vide ne lumen quod in te est tenebræ sint.*

Prov: 6 n. 23.

Caveo

Caveo ulterioribus. quæ ſimilia ſunt meteoricis, pro lumine non habeas. Scribunt meteorologi, flammas lambentes, ignes fatuos, capras ſaltantes &c. time ſimilia in tua anima. quæ per ſenſualitatem carni abblandiuntur; flammas puta lambentes. Si in imaginatione, imaginariæ ſubſiliant ſæculi opes; ut capras ſubſilientes, pelle de imaginatione. illa quæ homini religioſo, mundus accendit lumina, mox deſitura; fatuos crede ignes; & meteora, non lumina. ab his omnibus tibi cavebis ſi cautelam Chriſti hanc ſervas, *Vide ne lumen quod in te eſt, tenebræ ſint.* Servare ſtatue, & lumini vero ſerva pupillam.

Colloquium ſupplex inſtitue, vel ad JESUM, qui ſicut DEUS de DEO, ita lumen de lumine eſt, vel ad Diviniſſimam DEIparam Virginem MARIAM, quæ Divo Bonaventuræ *Mater luminis & ſplendoris dicitur.* in Pſalt. mori.

Propositum practicum, Observatio veri luminis interioris.

Si placet variare tesseram, sume hanc meditationum appretiativam. *Meditatio tanquam pupilla oculi custodienda* D. Laurent: Iustin: de casto connub 27.

Vel hanc *Qualis apparueris DEO, talis oportet ut appareat tibi DEUS.* D. Aug. l. Man: c. 24. n. 1.

REFLEXIO BREVICULA
De periculo recedentium à DEO:
Super illud, *Recedentes à te in terra scribentur.* Jeremiæ 7.

1. Formidabilis sanè comminatio: quia sacri eloquii concepta verbis, de quibus nec jota unum, nec apex præterit, donec omnia fiant. facis ut à DEO recedas: fiet ut in terra scribaris. Simplicianus es, si non penetras. Caucaso durior es, si penetratâ comminatione, à DEO Spiritu formatâ, nihil moveris.

2. In terra nomen habere scriptum quid

quid aliud est, nisi periclitari de salute? quod si in te permittis, fortè serò, licèt seriò, lugebis; & utinam inchoatum salutis periculum saltem lacrymis diluas.

Gaudete, ajebat suis primis Collegialibus JESUS, *quia nomina vestra scripta sunt in cælis*. Lucæ 10. n 20. 3.
Quid putas exspectant illi, quorum nomina scribentur in terra, nisi hoc ad prædicta verba oppositum: Lugete & ejulate, quia nomina vestra scripta sunt in terra. vide ne serò lugeas, ad usque inutilem ejulatum.

Idque tibi meritò timeo. quia recedentium à DEO nomina terræ inscripta, videntur serpenti infernali in cibum relicta. 4.

Dæmon serpentis speciem indutus, paradisiacos homines cum tota progenie, (unam in hominibus puris, exime Divinissimam DEIparam Virginem) ubi in ultimam ferè impulerat ruinam, à DEO maledictus, terram sibi in cibum permissam ac- 5.

cepit, illo edicto, *Terram comedes.* Si à DEO recedis, terram serpens famelicus vorando, putas nomen tuum in terra scriptum, saltem gustare omittet?

6. Reptat perreptatq; totam quantã terram serpens stygius; qui jam terrâ, terreisq; nominibus saginatus, in draconem excrevit; reptans, inter alia etiam tuum nomen, qui recedis à DEO, inveniet in terra scriptum: indubiè gustabit illud, regustabitq; rodet, arrodet: quid si erodet totũ? quid si devorabit?

7. Ubi putas nomen tuum? ubi te invenies, si ingredieris æternitatẽ sine nomine? Anonymos habuit, & habet terra Sanctos. Cœlum, non habet, nisi eos, quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Stellas DEUS noster singulas vocat nominatim. & speras anonymas in Cœlo animas, vel anonymos homines futuros? Cave ne tuum amittas nomen, cave ne illud in terris scribatur quod erodat

ser-

ſerpens. Cave ne anonymus ingrediaris viam æternitatis.

At meum ais nomen in cœlis 8.
credo ſcriptum. ſi hoc certò conſtat, tibi gratulor; at ſimul ſvadeo, ſubverearis, ne tibi quid ſimile contingat, ſimilitudine in deterius vergente, quod olim contigit in melius Ninivitis. DEO jubente, DEO auriculam Prophetæ revelante; Ninivitis certum interitum, cum ſubverſione ipſius Ninivæ, Jonas intra lacrymas declamavit. *Quadraginta dies & Ninive ſubverteretur.* Poſt hæc omnia, Ninive non ſubverſa; & Ninivitæ pænitentes, immunes ab interitu ſervati: quia DEUS in revelatione facta Prophetæ ſubintellexit, *Niſi converſi fuerint Ninivitæ de viâ ſua mala.*

Si citra omnem illuſionis formi- 9.
dinem tibi privata certa revelatio, de tuo nomine cœlis inſcripto: crede; illam non enervo. at quid ſi in ea ſubintellectum, ſi non fueris re-

versus de via bona, si non recesseris à DEO, nomen habes scriptum in cœlis. Recedis; cave ne cœlis tuum detrahas nomen, & illud in terra scribi tuo malo facias.

10. Contra *Iechoniam filium Ioachim Regis Iuda*, per Jeremiam Prophetã, his olim detonuit Dominus: *Vivo ego dicit Dominus, si fuerit Iechonias, annulus in manu dextera mea, inde evellã eum &c.* Jamne stas ad dexteram DEI immobiliter? Iamne annulus dexteræ DEI es? iamne te ipso, tanquam annulo, subarrasti te DEO tuo, & DEUM tibi? qui tantum tuo fidis nomini cœlis recepto, ut non possis in terra scribi si recedis à DEO! Time potiùs Dominum cũ Sanctis eius. & vide, ne unquam recessum à DEO facias vel uno passu. vide ne appropies terræ, cui tandẽ tuum inscribatur nomen; ut si non ultimum subeas periculum, saltem de tua pericliteris salute.

Ierem. 22, n. 24.

Faci-

Facierum à confuſione præſervatio.

SEU MEDITATIO.

Super reſidua textûs aſſumpti verba hæc:

Facies veſtræ non confundentur.

IN ſæculo gratiæ, Homo religioſus, eſt
I. facierum homo: ado. Singulis igitur diſpectis; providere debet: ario. Ut confuſionē, quæ grande malum eſt, quoad ſingulas evitet in die judicii.

Oratio præparatoria ſolita.

Præludia quæ fuerunt ſupra.

Puncto I. Magni promiſſi, magnitudinem expende pariter & myſteri- I.
um. Si in acceſſu ad DEUM JESUM illuminaris, ac in hoc lumine ſemel accepto, ſemper, ut debes, viam filiorum lucis incedis, ductu S. Patris in exercitiis præmonſtrato, certa iam tibi & ſecura, ab omni confuſione libertas promittitur, etiam in valle Joſaphat. Quantum verò, aut quàm magnum hoc ſit promiſſum, mox videbis infra. Nunc promiſi myſte-

rium his intimatum verbis, *Facies vestræ non confundentur*, expende.

2. Quod erat sæculum legis, habebat panes facierum. Gratiæ sæculũ habet homines facierum. Una quidem unicuiq; secundùm hominem exteriorem facies est. immo homo quà homo etiam interior, unam cũ omnibus aliis communem interiorem habet faciem, ad imaginem scilicet & similitudinem DEI, creatam habendo animam. at homini
3. Christiano, Religioso, Sacerdoti, secundùm quod homo Christianus, homo religiosus, ad militandum pro DEO evocatus è sæculo, & ad militiam DEI confirmatus; homo Sacerdos, iam non unius faciei in anima, cœlo apparet. Rem vide. In Ec-
4. clesia Christi de fide est dari Sacramenta, quæ sui susceptoribus imprimunt æternum indelebilem characterem: & exinde sunt non iterabilia, qualia sunt. *Baptismus, Confirmatio, & Ordo.* Singula hæc sicut distin-

stinctum imprimunt animæ chara-
cterem, ita singula, liceat sic loqui,
aliam & aliam, priore non abolitâ,
efformant quodammodo in anima
suscipientis faciem. Unde sicut per
extimum vultum homo unus ab alio
dignoscitur ad extra; sic & per illos
characteres animæ impressos, homo
interior consignatus, dignoscitur in
æternitate, à non consignato. viden
promissi his verbis inclusi, *Facies
vestræ non confundentur*, mysterium?
viden quia sic non una tibi bapti-
sato, confirmato, ordinato, est quo-
ad interiorem hominē facies? quod
Rex Propheta illuminato mentis
oculo, à longe in sæculo gratiæ ad-
vertit, dum ait, *Facies vestræ non con-
fundentur*, si accedis ad DEUM & il-
luminaris. Restat ut videas an non 4.
secundùm singulas illuminari egeas;
ne fortè singulæ in te confundantur,
illuminari cura. ut illumineris, ala-
cri de omnibus aliis collecto animo,
sub sacrum octiduum, accede ad

DEUM, JESUM, nec dubita quia si sic accedis, illuminaberis.

Puncto II. Ad meliorem notitiam, expedit tantillum prædictas intueri facies. *Baptismus*, per quem homo de gratia Christi regeneratur ad vitam spiritualem, charactere in anima baptisati impresso, inducit, vel induit homini faciem fidelis, credentis; per quem dignoscatur ab infideli: induit faciem Christiani: consequenter induit baptisato faciem *Fratris Christi*. Credis primum: miraris alterum? ut citra admirationem, & alterum hoc accipias, audi quod ait D. Bernardus. *Christianus sum, Christi frater sum.* Hem! quam nobilem de charactere baptismi, cũ facie Christiani, induisti faciẽ; faciẽ *fratrũ Christi*! æstimas ne eã ut debes?

D. Th. 3p qu. 72 a 9. ad 2 mũ

6.

Serm: de circumc.

Confirmatio, per quam homo consignatur, ut miles ad pugnam contra hostes DEI, fidei, ad conferendum robur ad sacram militiam, suo charactere imprimit animæ faciem militis DEI, militis Ecclesiæ, pro DEO, fide,

D Th: ibid.

7.

fide, salute sua, strenuè contra quévis hostem militaturi. Te vide quoad hanc faciem, & tuam dignosce vi huius Sacramenti obligationem.

Ordo Sacer, Theologis est signaculũ per quod ordinatus habet characterem animæ impressum, quo illi in populum DEO fidelem traditur potestas spiritualis. agnosce tuam dignitatem qui ordinatus es. in populo DEI, populo DEI emines, plusquam Saul Rex suis Israelitis. Ille enim eminebat humero solo corporis, & postea potestate morali. tu potestate spirituali, ad animas se extendente, populo DEI emines, si tuâ potestate rectè uteris. emines populo DEI non angustis conclusâ cancellis potestate. — M. sent. l. 4. n. 24. — 8.

Jam ergo secundùm has singulas, singulis Sacramentorum prædictorũ characteribus, impressas animæ tuæ facies, quoad hominem interiorem, te in tua conscientia dispice; an non intenebratæ? an ab umbris defe- 9.

ctuum

ctuum etiam levioribus longè sunt ?
Vide quoad primum hoc, quod monet Apostolus. *Quis in te amor fraternitatis Christi ? quæ in hoc amore fraternitatis, charitas* in eum, qui statim à baptismo non dedignatus est te assumpsisse in fratrem : & qui, si secundùm hanc faciem, totâ viâ vitæ incesseris, paratus illud in auribus omnium de te dicere, *Hic frater meus est* !

10. Vide quoad secundum, an qui miles DEI, JESU, Ecclesiæ es ; an fideliter collaboras evangelio, secundùm eius consilia, bonam militando militiam ? vide an, & quæ, tibi sint præscripta ab Apostolis arma iustitiæ contra spiritualia nequitiæ ? vide quis tibi armorum ab Apostolo præscriptorum usus ; quàm constans, quàm saltem frequens, quàm efficax.

11. Vide quoad tertium an non inumbrata saltem umbris imperfectionum, potestas spiritualis. His dispectis indubiè advertes necessitatem

tem accedendi sub sacrum octiduum ad DEUM JESUM, ut secundùm has facies illumineris in tua anima, ne olim graviorem quàm timeas in singulis sentias confusionem.

Puncto III. Postquam mysterium promissi expendisti, de pluribus unius hominis faciebus; iam magnitu- 12.
dinem promissi, vel confusionem à singulis faciebus avertendam expensurus, inprimis vide; quantum, & quantò omnibus ferè aliis gravius est malum, confusio etiam unius faciei exterioris. David prostrato Goliato, salute in Israel factâ, ingratitudinem Saulis, odia Saulis, hastam 13.
Saulis, in se intortam passus, non legis quod hæc incusarit. Rex iam David, sui subditi Semei, & lapides in se missos, & tot maledicta, ac improperia coniecta, aliorum etiam auribus gravia, iudicioq; eorum morte piari digna, dissimulavit.

Rex in universo Israel David, desertus ab universo regni populo, qui

rebellem suum filium Absalon, toto corde sequebatur: & desertionem sui, & rebellionem tàm populi quã filii sui Absalon, dissimulanter tulit; nec cœlo ad hæc omnia ingemuit.

Disce saltem à Rege Magistro similia sufferre. unam in his & similibus, confusionem sui, non sustinens cœlo adgemit Rex gemebundus; *Confusio operuit faciem meam.* Vides quantum malum est vel unius exterioris faciei confusio!

14. Cogita ultra, quid non facit natura, ne facies exterior confundatur. Si pallebat ante confusionem facies, in confusione totum instaneè emovet è corde sangvinem, infunditq; in faciem, ut rubeat, & diluat eam, quæ se parat operire, confusionem. Si rubebat antè vultus, confusioni supervenienti totus illico recedit in præcordia sangvis; ne vel iuvet confusionem in facie operienda: vel attestetur confusioni præsens, dũ illa faciẽ operit. Tam gran-

grande malum naturæ! tam grande malum ingenuitati confusio! unde faci è concludes, magnum homini ad DEUM accedenti, illuminariq; secundùm facies interiores quærenti, cœlitus hoc inscribi promissum, quia si id fecerit, suæ facies non confundentur.

Iam vide, quæ homini Christiano, confirmato, ordinato, religioso; 15.
quoad singulas, si in eis nunc illuminari negligit, facies, imminet in die iudicii confusio. Quem character baptismi ostendet Christianum, & CHRISTI fratrem; vita autem & opera non probabunt; audiet à throno Iudicis illa Apostoli verba; *Animalis homo, non fecit ea, quæ spiritus sunt*, licèt in vitam spiritualem baptismo regeneratus. audiet & illam majorem Apostolicam; *Qui* 16.
Spiritum CHRISTI non habet, hic non est eius, supple frater. Subsumet rea conscientia minorem, & concludet convicta, hunc non esse fra-

trem

tre Christi. en confusio faciei primæ.

Quem confirmationis character, militiæ Christi consignatum clarabit, & res non probabit, confunde-
17. tur in facie altera dum audiet, Characterem, quia indelebilis est retinuit; at *Scutum inexpugnabile, æquitatem, non sumpsit, arma iustitiæ*, ferre recusavit: stare in acie contra hostem neglexit, *bonam non militavit militiam.* Ordinato in presbyteri-
18. um, satis erit ad confusionem suæ interioris ex charactere Sacro formatæ faciei, si illud Prophetæ ad subsellium Iudicis audiet, *Sicut populus, sic Sacerdos.*

Gentiles, & perfidi iudæi damnandi, vultum Iudicis DEI subira-
19. tum non sustinentes, montes & colles super se evocabunt. at Christiani, confirmati, ordinati, sub eodem formidandi Iudicis vultu, rugient, iterum iterumque irrugient, magis quàm Ethnici aut iudæi, *montes cadite super nos, colles operite nos,*

sugi-

fugient autem ne ad confusionem suam de suis internoscantur faciebus, baptismi, confirmationis, & sacri Presbyterii. Metire iam ex gravitate confusionis, magnitudinem promissi, quo securitas libera, & libertas secura à confusione facierum tibi 20.
promittitur, si ad DEUM JESUM accedas, ac illumineris. Et statue hoc octiduo nullum impedire DEI lumen, & ad DEUM accedere. ut possis.

Colloquium institue ad JESUM qui *Via est* ad accedendum; *Veritas* ad illuminandum: *Vita* ad repræmiandum.

Propositum practicum. Attendentia ad facies interiores, in suo nitore conservandas.

APOSTOLICA COHORTATIO

Ad tempus Sacri Octidui appretiandum, Ante Octiduum penetranda.

Ecce nunc tempus acceptabile; ecce nunc dies salutis. 2. Corinth: 6.

Tempus collectionum, tempus est acceptabile.

SEU MEDITATIO.

Super verba prædicta.

SAcri tempus Octidui, tempus DEO acceptabile 1. Quia supplere potest defectus præteritarum collectionum. 2. Præsertim si sub hoc octiduum, quodvis instans, temporis præsentis, quod solum nostrum est, fructuosè collocetur. 3. Cùm alia quæ viximus tempora, fors non ita exacta, adeòque nec acceptabilia fuerint.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. De ore S. Patris IGNATII, te in solitudinem annuam Paternâ manu ducturi, accipe hæc Apostolica verba, tempori collectio-

num appretiando; *Ecce nunc tempus acceptabile.*

Præludio II. Pete auxilium gratiæ Divinæ, prædictis penetrandis.

Puncto I. Cogita quia cùm secundùm Theologos, Beati cœlo iam recepti, omnia & singula, ad se suosq; spectantia ordinariè in DEO, ut speculo voluntario videant; S. Pater noster, totam quantam Societatem minimam ad se spectantem, in DEO semper habet in oculis suis, gratulare id Sancto Patri; gratulare Societati, & tuam cum pudore agnosce felicitatem, quòd etiam te, estò non satis dignum filium, in DEO videat. 1.

Cogita & illud, quia in beata æternitate, cui semper omnia sunt præsentia, tam ea quæ nobis iam præterita, quàm illa quæ futura sunt, S. Pater minimam Societatem videndo, irradiatus beatificâ visione, videt eam in DEO, cum omnibus & singulis personis, negotiis, functionibus. Videt & nostras quas olim 2.

aim-

aut fecimus, aut tantùm egimus collectiones. *a* Videt in illis anteactis collectionibus non pauca fortè defectuosa. Ut illa omnia compensentur, monet nunc paternè spiritu Apostolico. *Ecce nunc*, harum collectionum, *Tempus acceptabile*, facilè compensativum omnium antecedaneorum temporum, si nec unum *Nunc*, nec unum de collectionibus inchoandis instans, otiosum effluat.

Tuam igitur convenire velis conscientiam, & videre quæ defectuosa erant in anteactis collectionibus. Quot & quanta bona in illis evastavit, omissio præscriptorum faciendorum! quot & quanta bona impedivit, variatio temporis distributi! quot instantia temporis, suffurata distractiones deliberatæ! quantum de tempore notabili, abripuere colloquia, non cum DEO, sub collecti-

ones

a Ex Aristotele, agit Musicus, v.g. Cytharædus, post opus nihil relinquens, sono pereunte. Facit fabrifaber v g. qui calicem post opus relinquit.

ones, malè habita! quantum de ſpiritu collecto diſſipavit, ſub octiduũ ſacrum, ingreſſus alienorum cubiculorum, lege religioſâ, & ſeveris ordinationibus prohibitus! Dole de 4.
ſingulis. Obligationem tuam adverte, ad omnia hæc in integrum reſtituenda; monitum Sancti Patris accepta, Apoſtolicis conceptum verbis, *Ecce* ad hæc compenſanda, *Nunc tempus acceptabile.* Statue quod vult DEUS, & bene diſpoſitus intellectus ſvadet voluntati ſtatuendum ad corrigenda hæc omnia: ut ſubſequenti ſacro octiduo, omnes & ſingulas temporis particulas obſerves, nec ullũ inſtans tibi diffluat otioſũ.

Puncto II. Non pigeat ad excitationem ſegneſcentis fortè ſpiritûs, tantiſper in anima philoſophari, ſupra myſterium huius Apoſtolicæ em- 5.
phaſis, *Ecce nunc tempus.* Ubi cogita, breviſſimum temporis inſtans, initium nonniſi temporis eſt; & vix tempus dici poteſt. Sicut unitas ſolitaria

litaria, vix numerus, sed nonnisi initium numeri vocitatur. ly, Nunc, demonstrabile per *Ecce nunc*, unicissimum temporis instans, putas Apostolus, per omnia cœlitus eruditus in cassum dicit esse tempus? certè mysterium nobis innuit hoc; quia nullum aliud nostrum, qui sub Sole vivimus, est tempus, nisi hoc unum & solum, de quo dici potest. *Ecce nunc*. Alia, aliis sub differentiis & differentiarũ nominibus venientia, non sunt nostra tempora, præter unum quod præsens, & *Nunc* est.

Præteritum quod viximus, quod iam defluxit tempus, non est, nec erit: quia nulli uspiam redeunt tempora; adeòq; præteritum non est nostrum, quod effluxit consignatum æternitati, utinam bonæ!

Futurum, quod in spe tempus est, necdum est, adeòq; nec nostrum est. At quod futurum est, olim & præsens erit? ita est. Sed quid, si aliis, non mihi præsens erit? quid si illud

futu-

futurum, cum sua veniens præsentialitate, me non inveniet in via vitæ huius, (in qua sola tempus est!) non inveniet me hic præsentem, sed quoad corpus, iam vermibus coopertum in sepulchro? secundùm animam in altero sæculo?

Meministi, quam circumscriptæ à DEO ignotis quo ad nos terminis, 8.
vitæ nostræ descriptionem, in sua Apostolica Sanctus Jacobus dedit.
Vita vestra, vapor est ad modicum parens Iacob.
Vapor è fluviis aut humidis lacunis 4. v. 14
exhalatus, quantũcũq; addensatus videatur, tamen singulis diebus, si non 9.
momentis: vel difflatur à ventis, vel attenuatus à Sole dissipatur. Sic quomodocunq; robusta homini sua videatur vita; instar vaporis non rarò, subitò; aut difflatur, aut dissipatur.

Quid ergò si tuæ vitæ vapor citius quàm timeas evanescet; quomo- 10.
do illud futurum, quod exspectas, dum erit præsens, te inveniet præsentem? quomodo futurum, erit tuum tempus?

Appre-

Apprehende igitur, auctor sum, apprehende Apostolicum de ore S. Patris tibi intimatum mysterium,
11. *Ecce nunc tempus* est, quod praesens est. Noli vivere incurius illius; Noli illud prodigere, quod in usu sui bono pretiosum est. Clamat è cœlo D. Augustinus, *Tempus tantum valet, quantum DEVS*. expende. & noli permittere, ut in hoc ly *Nunc* fluens tibi concessum, influant vitiosae cogitationes, collocutiones, actiones. enitere, ne vel unum *Nunc* tibi unquam otiosum effluat, saltem sub sacrum collectionum octiduum.

Puncto III. Expende reliquum pri-
12. mis additum verbis, *Ecce Nunc Tempus acceptabile*, putaq; de tuis dictum collectionibus. Iam aliquod viximus tempus, quod est ex Solis *Nunc* sibi succedentibus, (sive divisibilibus sive indivisibilibus, parũ interim est) conflatum. dispeicamus illud in annos vitae nostrae saecularis, & annos vitae nostrae religiosae. videamus in singu-

singulis annis, tam in sæculo, quàm in religione actis; an de quovis nostro *Nunc*, è vero in auribus cœli, & DEI, dicere possimus, quia unumquodque tẽporis nobis transacti *Nunc*, fuit DEO *tempus acceptabile*.

Ultimum de exacto tempore annum, à proximè præteritis dispiciamus collectionibus, ad subsequentes: & accuratè intueamur, an unũquodque saltem huius reliqui anni *Nunc*, acceptabile DEO, JESU, Beatissimæ Matri societatis, & Sancto Patri nostro fluebat; cum augmento in nobis gratiæ & meriti, cum incremento majoris gloriæ DEI, cum gustu Societatis triumphantis, cum solatio Societatis militantis, exspectantisque pro principali nostrũ in Spiritu profectum. hæc enim omnia & singula requiruntur, ad esse *acceptabile*. Fortè & hunc ex aliis residuum annum, in amaritudine animæ nostræ, recogitare attinemur, multis partibus effluxisse otiosum! forte reperiemus, 13.

14.

quia non tantùm *Nunc* aliquod unum, & decimum, & centesimum; sed dies integri, hebdomadæ diebus plenæ, & menses hebdomadis integrati ivere otiosi, non acceptabiles DEO, nec cœlo inscripti! Unde lugere nobis restabit cum Jobo;
Iob. 7. n. 3. *Menses ego vacuos habui.* vel quod plus est, annos ego vacuos meritis, vacuos augmentis gratiæ vixi.

15. Vide igitur quam viscerosæ charitatis sit in suos filios, & in te S. Pater JGNATIUS; qui à Patre Æterno impetravit tibi tempus collectionum: obtinuit iamq; in promisso paratam habet pro te propitiationem JESU: iam iam impetrare parat ad sacrum octiduum fructuosè obeundum, & maternam benedictionem Divinissimæ DEIparæ, sub cuius protectione minima vivit Societas JESU: & fortè ultimum hoc tibi erit octiduum! Statue ergo quod
16. in te est, ut sacri octidui quodvis *Nūc* fiat acceptabile DEO, tibi supra omnia alia meritorium. Col-

Colloquium latreuticum institue ad Æternum Patrem, pro concesso collectionibus tempore. Eucharisticon ad coæternum Patri Filium JESUM, qui suam tibi appromisit in Sancto Patre propitiationem. Ad Beatissimam impetratorium, benedictionis illius Virgineo-Maternæ. & exosculatus pedes Sancti Patris, paterno eius sub collectiones ductui, omnimodam filialem, quoad omnia pollicere facilitatem. Conclude per Pater & Ave.

Propositum practicum. In semper quidem, at vel maxime sub sacrum octiduum, appretiatio temporis, secundùm quod præsens est, quod solum nostrum est.

De illo, quod vixisti tempus non acceptabile *DEO* sæpius pro tessera illud hodie ardenter suspira, cum *Divo Augustino*.

Væ illi tēpori, in quo te DEUS non amavi. Eximius è nostris Asceta quoad omnes fidelium statū. R. P. Nicolaus Lancicius, svadet ante octiduum relegendas Annotationes S. Patris, & Additiones ad finem ımæ hebd. positas, subservituras, magnoque vsui futuras in collectionibus. Hodie igitur ita relegantur horâ reflexionis Annotationes,

ut octiduum sacræ solitudinis ingressurus, sciat quæ tradituro, quæ facturo exercitia præscripta sunt; Additiones, ut serventur ad ritè rectèque ineundum ac obeundum sacrum octiduum.

Dies Salutis
SEU MEDITATIO.
Super ulteriora S. Apostoli verba:

DIes salutis sunt, dies octidui sacri. 1mo Quia in eis æternitati quodam modo vivitur, quodlibet instans temporis bonis adimplendo actibus. 2do. præcipuè si attendatur ad actuales DEI gratias, ut nulla transeat nostræ cooperationis vacua, 3tio. quo fieri poterit, ut exacto octiduo, non unum mille annorum nobis computetur.

Oratio præparatoria soli a.

Præludia, eadem quæ fuerunt, prædictis verbis additis.

Puncto I. Cogita quòd appretian-
1. do ac utiliter in salutem transigendo collectionum tempori, S. Pater illa Apostoli verba addat. ***Ecce nunc dies salutis.*** quod propterea facit, ut non tantùm dies collectionum, in noctes dormitionum, vel dormitationum, non vertamus; sed insuper hoc

hoc exigit, ut in nostris collectionibus, & postea ulteriorem vitam, iam æternitati in salutem vivamus nostram, quodlibet *Nunc* vel instans, non in otio transigentes, cumulando nobis gradus gratiæ & meritum in bonam æternitatem, cum auxiliis gratiæ Divinæ augendo.

Repeto quod alibi innui expen- 2.
dendum. Viximus hactenus fortè uni & quidem inutiliter tempori: si multa instantia effluxere, aut quod pejus esset, si omnia defluxere otiosa; expende ubi nam sunt! & cogita si sub hoc sacrũ octiduum bene ly *Nunc* quodlibet locabimus, jã bonæ æternitati; jã saluti nostræ æternæ vivemus: quia vivemus quodãmodo simillimãCœlitũ viã, quod sic expẽde.

In æternitate sive bona, sive mala, nulla temporis differentia est, 3.
quia post terminum viæ in hac vita, nec tempus est secundùm illud, quod Apocalypticus olim exclamavit Angelus, *Tempus non erit amplius.* Apoc. 10.

consequentér nec differentiæ erunt amplius, sed unũ & solum *Nunc*. quia quoad essentialia ; æternitati tã bonæ quàm malæ nihil in substantia accedit, nihil decedit, sed tota est simul cum omnibus sui essentialibus utraq; æternitas; & utriusq; mensura DEUS est. proinde quod accedit malæ æternitati, pœna est accidentalis damnatorum. quod accedit bonæ, dicitur gloria accidentalis Sanctorum.

Aves omni desiderio vivere jam
4. non fluxo tempori sed æternitati? vide velis bonæ æternitati vivere, ly *Nunc*, bonis adimplendo tuis, in gratia DEI, operibus: idque tanto magis velis, quantò fortè antea non ita vixisti; ly *Nunc*, nec unũ,
5. malis opplendo tuis! Sic *Nunc* quodlibet bene exactum, ubi dies salutis tibi constituet in via; emerebitur in Patria salutem æternam; sic cœlitum similem ages vitam, quibus nullum instans ab operibus bonis vacuum aut otiosum est. Sic

pote-

poteris è vero cum Apoſtolo dicere adhuc in terris, *Noſtra converſatio in cœlis eſt* Sic dies collectionũ, quos nunc agis, erunt tibi dies ſalutis.

Puncto II. Cogita vltra tuo ſolatio, ſimul & timori. Solatio; quia 6.
ſi ly *Nunc* quodvis obſervando in bonum, vives æternitati bonæ; cum auxiliis gratiæ DEI, indubiè tuam tibi facies certam ſalutem, nuſpiam filum prædeſtinationis debilitando. Sin autem ſecus facies, incurres periculum ſalutis, non obſervando in ſalutem quodvis *Nunc*: quia ſic poterit filum prædeſtinationis aut debilitari, aut ſaltem variari, & hoc eſt tuo timori. Ut autem te in te quoad prædicta convincas, cogita,
quod certum Theologis; quia gra- 7.
tia habitualis, quæ eſt vita animæ, in anima peccati gravioris non conſcia, manens, & hominem ſanctificans, habet ſe ut illi ajunt, quaſi per modum qualitatis mortuæ, quoad hoc: quia ſicut qualitas inhæret ſu-

biecto

biecto, donec depellatur à subiecto; ita gratia habitualis sanctificãs vivificãsq; manet in anima duratq;, si non excludatur peccato mortali. time, hoc tantũ malũ tãti boni exclusivũ.

8. Gratiæ autem actuales omnes, quæ homini suæ salutis non incurio, in momenta ferè singula dantur, habent se per modum qualitatis vel actus vitalis, transeunter se habentis: unde sicut tempora defluxa non refluunt, sic gratiæ actuales, cum illis transeuntes non redeunt. Hoc in-
9. stanti, hoc sub collectiones tempore, senties gratias actuales excitantes impellentesq; ad bonum, v. g. ad confessionem integram, tam materialiter quàm formaliter: ad heroicum aliquod in rebus arduis propositum; ad executionem propositi heroici; si omittis, iam gratiæ illæ non redeunt. Quid si illis primis
10. Divinæ gratiæ excitantis impulsibus, alligata fuit gratia perseverandi in bono, perseverandi in religione?
perse-

perseverandi finaliter in gratia DEI? illam omisisti, & sic iam impediisti (molli utor verbo) concatenationẽ gratiarũ, consequẽter si non convulsum, iam saltem variatum filum tuæ prædestinationis habes: iam in periculum salutis te tuâ desidiâ coniecisti. Bene usus es illo actualis gratiæ impulsu; certam, quantum in te 11.
est, (monitore Sancto Apostolo, certam facite vocationem vestram,) fecisti salutem tuam. quia concatenationem gratiarum integram servâsti. Viden? quòd observare *Nunc* vel instans bonum, sub collectiones, sit habere dies salutis!

Hinc est quòd Sanctus Spiritus in sacris eloquiis nos ad quodlibet in- 12.
stans, ut bene singulis operemur, monet singulos, permovetq; his verbis. *Instanter operare quod potest manus* Ecol: 9. n. 10.
tua. & illis. *Particula boni doni* (puta gratiarum actualium, quæ certè sunt optima dona DEI) legunt com- Eccles. 14. n. 14
muniùs alii, *Particula bona diei*, diei

ſalutis, non te prætereat. ne ſi inſtanter operari neglexerimus, & particulæ boni doni, vel bonæ diei no-
13. bis deperierint, olim D. Baſilius è Græcis, & D. Auguſtinus è Latinis Sanctis Doctoribus, exprobrent ſingulis noſtrûm, idq; nomine DEI; *Noluiſti cùm poſſes, non poteris cùm voles.* quod fortè noſtrâ experientiâ, non pauci jam in aliis multis ſenſimus. ne in nobis ſentiamus; firmiora ſtatuamus propoſita, vivere quodlibet *Nunc* æternitati, non incurii gratiarum actualium.

Puncto III. Cogita magno id emo-
14. lumento futurum tuo, ſi quodvis *Nunc*, ſub ſacrum collectionum octiduum ritè in rebus ſupernaturalibus ad ſalutem neceſſariis exiges: ſic enim non tantùm omnia, ſi quæ hactenus non bene locata, compenſabis DEO tempora, ſed inſuper poſt octiduum ſacrum ſanctè terminatũ, plusquam mille annos tibi in computo cœli conſignatos reperies.

Rem

Rem habes, si hoc penetrativè
expendis. De fide est, quia *mille anni*, Matusalis v. g. qui propè 1000.
annos vixit, si vacui erunt meritorũ, 15.
in conspectu DEI, & computo cœli,
tantum valent, quantum *dies hesterna quæ præteriit.* De fide & alterum
est, quia si homo per bona opera *consummatur in brevi, explet tempora multa*,
explet ferè sine numero annos. Certè non est parcus DEUS in annis
perfectis acceptandis, & liberalis in
repudiandis imperfectis: si igitur
mille anni desides pro una die; cur
in supernaturalibus, meritoriis, una
operosa dies, nõ erit pro mille annis?

Hoc utrumq; per Prophetam Dominus Sabbaoth videtur promisisse; 16.
Senex qui non implet dies suos, supple Ierem:
meritis, *infans dierum erit: & puer*, 6. 1 11
puta in brevi cunsummatus, *centum annorum morietur.* Hoc & S. Apostolus innuit, dum ait *Ecce nunc dies salutis.* Unum instans, sicut oportet
ad salutem, si transigo; jam non
unum,

unum, ſed plures dies ſalutis mihi cœlum in uno inſtanti numerat. In uno *Nunc* vel inſtanti, ſine numero ſecundùm Apoſtolum habeo dies, dum ait *Ecce Nunc dies ſalutis*. Sit dies, cum ſimili attendentia, non interruptis bonis intentionibus, exa-
17. ctus in operibus meritoriis, ſicut oportet ad ſalutem; ſi non plura millia annorum, mille ſaltem integrabit annos, ut ad convertentiam illud dicatur, *Mille anni ſicut una dies, una dies ſicut mille anni.* ſic poſt octiduum ritè ſecundùm omnia in collectionibus terminatum, & accuratis in ſalutem operibus ad impletum; quia non una fuit dies, non unum annorum mille, in lucro habebitur. & negliges tantum lucrum!

Miraris quia Joſue pro Gabaoni-
18. tis pugnaturus, ubi Solem ſtare iuſſit contra Gabaon, unam diem habuit pro duabus, quia *quaſi diei unius ſpatio Sol ſubſtiterat, obediente*, ut ait Sacer textus, *DEO voci hominis.* Ma-
iora

iora facies miracula, quàm fecerit
Josue, si ly *Nunc* quodvis sic transi-
gis, ut quodlibet tibi sit in dies sa-
lutis. Obstupescis ad promissum ?
audi quod suæ primæ Societati JE-
SU apostolicæ, condixit JESUS 19.
miracula ipse faciens; *Maiora horum*
facietis. Idem tibi dictum puta,
idem pollicere, si ly *Nunc*, nullum 20.
tibi otiosum, & ab opere superna-
turali vacuum effluet. fac, cum DEO
in omnibus fideli, pactum; quia in
singulis *Nunc* vel instantibus, bene
transigendis, velles non tantùm com-
pensatam præteritorum negligenti-
am; sed etiam plures & plures ha-
bere inclusos dies vel annos, salutis
æternæ meritorios: & tuum, quod
sentis ad hoc desiderium, non per-
mitte, esse sterile, sed singulis instan-
tibus cooperare gratiis actualibus
DEI, idq; secundùm earum latitudi-
nem. DEUS qui voci Josue obedi- 21.
endo, Solem substitisse iussit; ipse
tuis desideriis obediendo exauditis,

pacti

pacti tecum initi memor, dies & dies innumeros, ex ly *Nunc*, aut instantibus, licèt non stantibus sed effluentibus, iubebit exstare tibi dies salutis: ex diebus autem singulis, mille & mille annos.

Iam vide quid in sacro solitæ solitudinis octiduo non colliges lucri in salutem, tàm in gratiis, quàm in tuis,
22. ex cooperatione ad gratias, meritis?

Ecce Nunc dies salutis, dies collectionum. Complace igitur tibi in hoc tempore, aspira ad illud: utiliter, vel phrasi conciliorum loquendo, sicut oportet ad salutem, totum expende. Sancto Patri pro informatione Apostolica, ad illud sanctè peragendum data, habitis gratiis:

Colloquium supplex ad eum institue, ut ille se pro te offerat DEO, Beatissimæ, & SS. Cœlitibus, tibi addictis in Vadem; quòd velis quàm accuratissimè hoc sacrum ingredi & exigere octiduum, ac gratiam DEI ad id efficacem per illum pete, dandamq; spera.

Pro-

Propositum practicum. Attendentia ad gratias actuales, ne nostrâ incuriâ transeant vacuæ.

PRINCIPIVM
sive Fundamentum exercitiorũ.

Creatus est Homo, &c.

VTriq; Creaturæ Intellectuali, Angelo scilicet & Homini creato, duplicem præfixit DEUS finem. alterum immediatum, in via: alterum ultimatum in Patria: utrumq; S. Pater in hoc fundamento, quod est creatio, brevissimè his complexus verbis. *Creatus est Homo ut Dominum DEVM suum laudet, ac revereatur; eiq; serviens*, hactenus finis immediatus, *tandem salvus fiat.* hic est finis ultimatus. Verum quidem est, quia ultimatus finis, prior est in intentione; sed cùm immediatus, per modum medii se habeat ad ultimatum, & prior sit in executione; ideo creatione expensâ prius de immediato erit agendum.

Subso-

Subsolana Hominis Eminentia, SEU MEDITATIO De Creatione Hominis.

1mo. OMnibus sub Sole creaturis, emi-nentior creatus homo; eminen-tiorem, suo Creatori DEO, debet gratitu-dinem 2dò. Cùm autem laboriosum quo-dammodo videatur opus esse dexteræ DEI; impendere, & superimpendere se, tenetur laboribus pro DEO. 3tio. Porro factus ad imaginem DEI, eam & in se, & in aliis reverenter habere obligatur.

Oratio præparatria solita.

Præludio I. Imaginare quòd S. Pa-ter te sub oculum Sanctissimæ Tri-nitatis, cui omnia opera ad extra sunt communia, duxerit, ad reco-gnoscendum creationis beneficium. Vide sis adorator singularum Perso-narum, *in spiritu & veritate.*

Præludio II. Accipe hæc de ore Sancti Patris verba expendenda; *Creatus est homo.* & pete auxilium DEI efficax expendendis.

Puncto I. Beneficio DEI, accura-
I. tiùs dignoscendo, non tuo tumori,

cogi-

cogita. Homo es, ipsis tantùm Angelis, inter omnia creata inferior, creatus: cæteris omnibus sub sole creaturis eminentior. & hoc nullo tuo merito. unam exspectat DEUS gratitudinem. estne? & quidē eminens ut esse debet? tenesne quē creatus accepisti, inter creaturas gradū? an tuo vitio jumentis non compararis? 2.
Creatus es homo: membris integer, sensibus omnibus & singulis vivax. potentiis animæ bene instructus. hactenus ita conservatus. Creatus & conservatus es homo, & homo; scilicet tam interior, quàm exterior, secundùm singula perfectus. Con- 3.
servatio, continuata quodammodo creatio non immeritò dicitur. quia sicut ex nihilo creatus es à DEO, ita instantaneè in nihilum recideres, nisi continuo conservareris à DEO. Singulis instantibus, vide quam, & quantam DEO Creatori Conservatoriq; tuo debes gratitudinem. vide quam & quando exhibes,

Cogita quòd non fecit taliter o-
4. mni homini DEUS, tam in creando, quàm in conservando, qualiter tibi fecit. Multi, membris mutili, aut nati, aut aliquo casu iam effecti. Multi sensibus obtusi. Multi in usu potentiarum animæ, memoriæ, intellectûs, voluntatis, non æque expediti. & tu integer expeditusq; in omnibus! estne tua in DEUM Creatorem, & Conservatorem tui, gra-
5. titudo plena & expedita? Quanto unum redimeres à periculo v. g. oculum? quanto te totum, ab interitu casuali? hæc omnia ab uno creante conservanteq; habes DEO. Si in horum abusu vivis, ah certè illi
6. ingratus vivis! dole. Bruta minutulū experta beneficium, homini grata vivunt. Sic Leo à casuali spinæ punctura, & inde subnato dolore liberatus, Sancto Gerasimo suo eliberatori, advitalitius vixit famulus. Certè eminentiùs gratus homo debet esse DEO, quia & rationalis est, & in-

& infinities plura, longèq; maiora dona DEI accepit creatus. æternum, æternum DEO esse gratus tenetur.

Puncto II. Cogita modum quo te creavit DEUS. *Faciamus inquit DEUS Trinitas, hominem*, & vide quàm laboriosum opus DEI est homo: cætera singula, uno creavit DEUS verbo. *dixit, Fiat, & facta sunt*: sic terra, sic cœli, sic omnia reliqua creata. Tot Angelorum hierarchias, tot millia & millia millium, in singulis hierarchiis Angelorum: singulos in hierarchiis Angelos, in tanta, quantam illis tribuit Doctor Angelicus differentia specifica, uno *Fiat* creavit DEUS, secundùm communiorem SS. Patrum sensum, qui ad illa sacri eloquii verba, *Fiat lux & facta est lux*, censent Angelos esse creatos. adora efficacissimam omnipotentiam DEI.

Te hominem creando DEUS ait, *Faciamus hominem*, demirare si quantū satis demirari potes. qui totam

terræ

[margin notes: 71 / 8. / Gen: 6. 16. / 9]

terræ molem tribus tantùm appendit digitis; te tuamq; animam, creando, *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus*; totam, suæ Divinitatis dexteram in opus exserit! en quàm laboriosum
10. opus DEI homo est! Humano si loquimur modo, laboravit in te creando DEUS toto se! ut toto te, pro DEO, laborare non renuas. fors si particella de viribus impenditur DEO, iam fatigaris. si quæ una animæ potentia subservit DEO, pro magno habes: vacant cæteræ! erubesce, & vide ex hinc, omnes vires, omnes sensus, omnes potentias ad ea, quæ DEI & propter DEVM sunt, facienda, intendas accuratus.

Puncto III. Cogita ultra eminen-
11. tiam beneficii in te creando. Homo creatus es, non ad aliam ideam, sed
ibid. *ad imaginem & similitudinem DEI*. ex qua imagine, tota tibi inter creaturas eminentia; apud Angelos autem æstimatio. Aurum si non est signatum effigie Principis, minus habet

bet pretii, ab auro signato usibus humanis. *Signatum lumen vultûs DEI super te*, pretium tibi fecit. recognosce id gratus. Reverentur hanc imaginem signatam in te, omnes creaturæ: amant Sancti; timent mali Angeli, si non profanatam peccato vident. Sancti Angeli conservos se dicunt Joanni; aliis, Angeli boni tutelares, agnatos se vocitant; æstimasne tuam felicitatem? appretiasne illam? conservasne talem in te imaginem DEI, qualem accepisti? amasne eam in aliis? vide; corrigenda corrige. cautior & gratior ex hinc vive DEO Creatori, creatus homo.

Ps. 4. v. 7.

13.

14. Colloquium ad singulas Sanctissimæ Triados Personas tuus tibi formet affectus.

Propositum practicum. Bonus tam potentiarum animæ, quàm sensuum, & virium corporis, usus, ut DEO Creatori de integro vivas gratus.

Tessera huius diei. *Memento DEI Creatoris tui.* Eccles. 12. v. 1.

vel hæc. *Evigilemus corde, & mentis aciem erigamus ad DEVM Creatorem nostrum.* D. Laur: Justinianus l. de obed: cap: 9.

vel hæc. *Vtere te ipso, velut DEI templo.* D. Bernard. Med: 5. n. 4.

Coæquatio quoad finem, Hominis cum Angelo, SEU MEDITATIO De fine immediato Hominis creati.

1 NAturâ inferior, coæquatus quoad finem utrumq; Angelis homo; debet æmulari SS. Angelos in laude. 2do Et Reverentia DEI. 3tio. Serviendo soli DEO Domino.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Audi Sanctum Patrem hæc tibi intimantem, *Creatus es homo ut Dominum DEVM laudes, reverearis, illiq; servias.*

Præludio II. Pete per instantiam Sancti Patris, efficax gratiæ DEI auxilium, acceptis verbis penetrandis, tenendis, in effectum deducendis.

1. *Puncto* I. Cogita te naturâ inferiorem

orem Angelo, quoad finem coæquatum esse Angelis. adora DEVM, te ad usque Angelos elevantem fine præfixo: & vide eundem tibi utrūq; finem destinatum, cum Angelis creatis: quia & illi, suo ævo Angelico in via, per similem finem immediatum debebāt tendere ad ultimatum. Boni ultimatum habent, quia implevere immediatum, laudando reverendoq; DEUM, ac illi serviendo. 2.
exciderunt autem ab ultimato, qui non satis fecere fini immediato, mali Angeli. Cave tibi; & qui Sanctis Patribus minor natu diceris, frater Angelorum; quia posterior es Angelis creatus, vide, nolis malos; 3.
Sanctos & bonos velis æmulari Angelos, maiores natu fratres tuos: & immediato fini satisfacere omnino satagas; ut ultimatum consequaris.

Vt laudes Dominum DEVM tuum creatus es. Laudant Sancti Angeli, 4.
& tuus Sanctus Angelus tutelaris, à primo suæ creationis instanti, cum

aliis laudat DEVM. Vide num tu à primo rationis usu conversus ad DEUM, ut te Angelicus Doctor meritò obligat, cœperis laudare DEVM.
5. Laudavit sic Beatus Aloysius Gonzaga, ut sua tibi attestatur historia vitæ. Sancti Angeli cœptam in via, continuarunt; & etiam num in Patria, iam hæredes beatitudinis, continuant laudem DEI. nusquam & nunquam eam interrumpendo, sive in cœlis assistant DEO, sive tutelæ aliorum maneant in terris. Cœlũ
6. terrenum ingressus Religionem, nullus dubito cœpisti DEI tui laudem: continuastine bonorum æmulator charismatum, & Sancti Angeli tibi additi imitator? fortè à collectionibus ultimis, non interrumpendam DEI laudem promittendo, illud usurpasti Davidicum in auribus cœli,
Ps.33. *Benedicam Dominum in omni tempore:*
v. 2 *semper laus eius in ore meo?* Stetistine tuo promisso? Fortè dum in terrestri cœlo, in domo Religiosa es,

es, utcunq; cum aliis laudas Dominum: non item dum extra es: cùm tamen maior natu frater tuus, Sanctus Angelus Tutelaris, ubivis locorum non cesset laudare DEUM! Erubescit Sanctus Angelus tuus, tuam inconstantiam, in fine tam nobili, fine Angelico toties neglecto. Omnia exhinc sint ex tessera S. Patris *Ad Maiorem* DEI *gloriam*, & domi forisque laudabis constanter DEUM.

Puncto II. Expende alterum finis immediati membrum, *ut reverearis DEUM.* Mysterii vox est.

Reverentia DEI, ex Sancto Thoma, dicit & amorem & timorem, tanquam sui constitutiva. expende. 8.
Sicut res sine suis constitutivis, etiam uno ex illis deficiente, non est; sic & reverentia DEI esse non potest, si vel amor vel timor DEI desit. expēde ultra. Angeli mali, & damnati, 9.
credunt & contremiscunt, adeòq; timent DEUM: sed quia non amant, ideo non reverentur; & quia in via

cessârũt à DEI laude, iam solùm timendo, blasphemant eum in termino suæ damnationis. luge infelicitatem eorum. SS. Angeli, omnesq; Cœlites, reverentur è vero DEVM: quia & amant flagrantissimè, semper aspiciendo, semperq; in eum desiderando prospicere: & filiali timore timent, de illis enim habes, quod Sancta dicit Ecclesia, *Tremunt Potestates.* Vide, revererisne DEUM, Sanctè, Angelicè, qui æmulus esse debes, Angelorum lucis, in via; ut eorum concivis evadas in Patria? habesne utrumq; reverentiæ constitutivum? supplesne DEO reverentiam, quã illi subtraxere mali Angeli.

10. Amans, quantumvis distantem amatum, quem non habet sub oculo corporis; semper habet in oculis mentis; timensq; cum tremore, nunquam ea committit, per quæ offensam incurrat eius, quem filialiter timendo tremit. & hæc inter alias, est characteristica amoris. Te vide,

de, si non *provides Dominum in conspectu tuo*, quomodo amas illum? si 11.
quem immensum, ut debes, credis. ubique esse, & corda pariter ac renes scrutari; tamen humano subductus oculo, hæc & illa tibi permittis, quæ displicent DEO, quomodo times Dominum, qui totus oculus & ubique totus est? quomodo reverentiam habes sine suis constitutivis? quomodo vis salvus fieri? cùm finis ultimatus non habeatur sine immediato, qui pro medio indispensabili est ad ultimatum; ideoque non simpliciter medium, sed finis dicitur immediatus, disponens ad ultimatum.

Puncto III. Expende ultimum finis immediati verbum. *Creatus es ut DEO servias.* Soli DEO serviunt SS. 12.
Angeli: aliis propter DEVM: idem tibi finis est. Abrenuntiavimus dæmoni, adhuc in baptismo per nostros patrinos. Mundo & eius vanitatibus, abrenūtiavimus, in ipso ingressu ad portam Religionis. Abrenunti-

avimus carni & eius operibus, in prima votorum nuncupatione: ab hac, iam servi DEI universo populo fideli nominamur. Sumusne? soline servimus DEO, & eius inspirationibus, veritatibusq; in spiritu nos promoventibus? nihilne datur suggestionibus Sathanæ? nihil vanitatibus sæculi? nihil sensualitati carnis? dispice: & vide, soli exhinc servias DEO, proximo propter DEVM. Audi D. Bernardum. *Mundus* quem reliquisti, *clamat deficio. Caro*, quam Spiritui in servitutem redigere teneris, *clamat, inficio. Dæmon*, à cuius suggestionibus tibi cavere debes, *clamat interficio.* (expende hæc sigillatim) *Christus DEVS* tibi *dicit reficio*: & toties te reficit Eucharisticus, ut soli DEO servias. ac salvus fias. Et non ciurabis tyrannos? adspira cordialiter DEO JESU, *Iuravi & statui custodire iudicia justitiæ tuæ.*

Colloquium, expensa in punctis, colligat, & congruo affectu orando con-

concludat, tandem in effectum deducenda.

Propositum practicum. Reverentissima & Obsequiosa Laus DEI,

Propter distributionem temporis, sub octiduum & aliàs accuratè servandam, ut non vaga sint opera, sed omnia & singula habeant tempus certum, juxta illud, *Omnia tempus habent.* Supple certum. *Eccles.* 3.

In Horam Reflexionis REGULA
E Communibus Prima,
ad literam accepta.

Singuli, præfinitum sibi tempus, suæ conscientiæ bis examinandæ, Orationi, Meditationi, lectioniq; impendant, cum omni diligentia, in Domino.

Primo. Expende ly *singuli*: quicunq; in Societate vivunt, sive iam, sive necdum graduati, sive in temporalibus, sive in spiritualibus: sive hoc, sive illud officium habentes; sive superiores, sive subditi: sive do- 1.

mi, ſive foris exiſtant, &c. ſive pluribus, ſive paucioribus diſtrahantur negotiis: modò ſint de Societate, ſinguli ad hoc tenentur, quod lex præcitata exigit. Vide ne quando auſis te hic exemptitium cenſere.

Secundo. Expende *præfinitum ſibi*
2. *tempus impendant.* Ly *præfinitum.* Qualitatem & Quantitatem innuit temporis, ad ſingula nobis præfiniti. Qualitas temporis eſt, matutinum v. g. tempus primò primum, meditationi. antemeridianum, itemque veſpertinum examini conſcientiæ. Quantitas temporis, v. g. hora meditationi: quadrans, ſingulis examinibus conſcientiæ. ſic de cæteris.

Vide qui hoc quoad utrumq;, tam ad qualitatem quàm ad quantitatem
3. impendas tempus præfinitum ſingulis. Omneſne meditationibus ſecundùm qualitatem impenſæ, & ſecundùm quantitatem impletæ horæ? omnesne quadrantes examinibus impenſi, & impleti? omniane alia fiunt

unt præfinito secundùm dicta tempore, ut salva sit tam qualitas, quàm etiam quantitas temporis? fors qualitas temporis toties immutata, & quantitas diminuta? dole, & corrige.

Qui præfinito quoad qualitatem tempori, se sine justa subducit causa, non paucis privatur beneficiis DEI. dum tota nec una communitas Religiosa, sub eodem aut proximè vicino climate meditatur, & singuli tanquam astra matutina, cordialiter bonis affectibus laudant DEVM; specialiùs in medio eorum est præsens DEVS; juxta illud promissum, *Vbi duo vel tres*, tantò magis ubi totū Collegiū vel tota Provincia, *congregati fuerint, ibi in medio eorum* sum: effundit supra sic orantem communitatem, spiritum devotionis: instruit firmatq; memoriam servandis in posterum necessariis; illuminat intellectum; movet efficaciter in bonos affectus, & effectus voluntatem. quibus omnibus ut plurimùm hi pri- 4.

vantur, qui citra omnem necessita-
tem præfinitum variant tempus. un-
de, solitarii postea meditatores, are-
scunt; & re, si non verbo, ad cor-
dis aures sibi à Domino dictum pro
Iob:30 improperio sentiunt. *Vbi eras, dum*
v.7. *me laudabant astra matutina?*

5. Religio holocaustificat DEO tem-
pus quoad qualitatē, & quoad quan-
titatem, & quoad exercitia Spiri-
tûs, illi tempori assignata. Qui tem-
pus quoad quantitatem præfinitum
debreviant; hi illam, quam DEVS
odit, faciunt in holocausto rapinam,
tam temporis, quàm exercitiorum;
tenenturq; ad restitutionem DEO.
Vide quantum suffuratæ sunt distra-
ctiones de hac quantitate? quantum
segnities intervertit de qualitate?
quantùm neglectus omisit de utroq;?

Tertiò. Expende obiter; Ly *suæ*
6. *conscientiæ examinandæ.* Sæpe alie-
na discutimus, examinamusq; defe-
ctubsa: nostram vix obiter inspici-
mus in examine conscientiam, tuam

animā examina, dū tempus eſt præfinitū, tibi exhinc corrigendo ſtude.

Quartò. Expende condiſtinctam hac lege poni orationem à meditatione, ne ſatis habeas meditari horam; ſed particulas temporis, bonæ meritoriæq; in hac vita diei, obſervando, velis & aliter orare, dum tempus habes. Vide quæ, quàm devota, quàm frequens eſt, quàm diſpar ab orationibus externorū ſæculariū, quàm lucroſa augmenti gratiæ divinæ, & tui meriti, tua oratio, corona, breviarium, & ſimilia. ſi ab otio redimis tempus & obſervas; certè illud ſufficiens habes tot ejaculatoriis, aliisq; bonis affectibus, in quibus ores, ſaltē corde, ſi non ore. 7.

Quintò. Expende eādē lege commendari lectionem, tam illam, ad quam ratione ſtudii; tam illam, ad quam ratione officii, quàm deniq; illam, ad quam ratione tui profectûs ſpiritualis obligaris. prima & ſecunda, probabiliſſimè ut plurimùm 8.

non omittitur. quia ad primam, examen de relectis futurum, pro calcari perurget. ad secundam, plausus desiderati, & sperati excitant: tertiam fortè omissio aliquando insepelit, si spiritualia negliguntur. & tamen hinc Sanctus Pater noster initium
9. conversionis habuit. Spiritualia legere si omittimus; in via DEI, via perfectionis Religiosæ nobis congruæ, primum vestigium Sancti Patris non observamus. quomodo verò ejus imitatores esse volumus, & in imitando alia paterna tenere vestigia, si ad primum non attendimus? ama & cura sæpius legere, quæ juvant Spiritum.

10. *Sextò*. Expende Ly *cum omni diligentia*. Non satis quæcunq; in prædictis obeundis diligentia, sed plena, secundùm omnes circumstantias; quia omnis diligentia præscribitur, & requiritur, ad orandum, meditandum, studendum, legendum, examen conscientiæ faciendum, &c.

To

Te vide, an imperio Sancti Patris, & exspectationi Sanctæ Matris Religionis, in te satis fiat. an, & quam, & an omnē, ad prædicta diligentiam adhibueris. Cura exhinc adhibeas.

Septimo. Tandē consummativum omnium, expende Ly *in Domino.* hoc si bene expenditur, omnis omnino diligentia, orationi, meditationi, examinandæ conscientiæ, & lectioni accedet, tempusq; præfinitum quoad utrumq;, tam ad qualitatem, quàm ad quantitatem singulis impendetur, si in Domino vivere, in Domini obtutu nos singula agere cogitabimus, *providebimusq; Dominū, in conspectu nostro semper.* Multa dantur oculo hominis, præcipuè superioris, sedulò supra suos vigilantis: quomodo non omnia oculo DEI Domini, maximè super nos vigili, concedentur? DEVM Dominum cui hæc & similia debemus, cogitemus; nobis non tantùm adesse, verùm etiam inesse; & indubiè omnia 11. 12.

ac singula, eius gustui, nostris augmentis, tam gratiæ Divinæ, quàm meriti nostri, persolvemus accuratè, tum aliàs, tum præcipue hoc sacro octiduo, & nullum momentum temporis effluet otiosum.

SALVUM FIERI,
Una, vera, ac ultima, Felicitas Hominis.
SEU MEDITATIO
De ultimato fine hominis.

1. UNa sola, & vera, hominis felicitas est Salvum fieri. 2do Si homo vivit ut homo, vitam non animalem 3tio. Ut tandem potiatur illâ Beatitudine, quæ status est omnium bonorum aggregatione perfectus.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Accipe hæc de ore S. Patris JGNATII verba *Creatus es homo, ut salvus fias.*

Præludium II. Consveta gratiæ DEI petitio, acceptis penetrandis.

Puncto I. Cogita unam nonnisi, &
1. solam veram, simulq; ultimam esse hominis felicitatem, *salvum fieri*.

Una

Una hæc felicitas est: quia alias, si 2.
rectè expendis nullas admittit secū
connumerari, tanquam sibi suppares.
Sola hæc vera est felicitas; quia 3.
omnes aliæ, quæ cum tempore trās-
eunt sub Sole felicitates, sunt eva-
nidæ, & uno vanitatis nomine con-
clusæ à sapiente, qui ait, *Vidi cun-
cta quæ sub Sole sunt; Vanitas vanita-
tum & omnia vanitas.* expende qui
vanitates exambis! Ultima felici- 4.
tas est homini, *salvum fieri*, quia sal-
vus factus homo, non est quod ultra
aut desideret, aut quærat, aut exspe-
ctet, in tota æternitate. Exardesce
in amorem tuæ salutis æternæ, in
quo forsan hactenus tepescebas, si
necdum intepueras.

Cogita ultra quod per veracem 5.
tibi enuntiavit DEUS Prophetam,
Nolo mortem peccatoris, puta mortem
æternam; & expende quod DEUS
amans animas quantùm in eo est, Sap. 11.
vult omnes & singulos; vult & te
salvum fieri: adora hanc voluntatē

DEI, tuæ saluti æternæ divinissimè addictā. Sed necesse est, homo etiam nolit suam mortem æternam, & velit *efficaciter salvus fieri.* Expende
6. ly *efficaciter*; quia omnes quidem & singuli homines, quos profundum impietatis necdum absorpsit, volunt salvari, sed non efficaciter volunt. plurimi enim velleitatem habent, finem sine mediis desiderando. pauci habent voluntatem efficacem ad salvari, qui media ad finem saltem congrua usurpent. hinc *pauci electi.* Vide in quorum numero inveniaris;
7. & hoc ultimum id loci expende, quod nomine ipsius DEI expendendum suggerit D. Augustinus, *Creare te potui sine te, salvare te non possum sine te.* & penetra cooperationem tuam omnino requiri ad salutem tuā. estne hæc quæ requitur necessariò?
8. *Puncto II.* Expende. *Creatus es homo ut salvus fias*, unde si negligis hominis vitam vivere, tuam negligis salutē, quia in sublunaribus, homini
non

non jumento, ultimatum voluit esse finem *Salutem* DEUS. hinc S. Pater dicit; *Homo creatus ut salvus fiat.* Time igitur, ne si homo creatus; naturâ, minoratus paulò minus ab Angelis; utroq; autem fine, tam immediato quàm ultimato, coæquatus Angelis; tuum non intelligis honorem, & non ut homo vivis; time ne jumentis comparatus insipientibus, à tam sublimi excidas fine, quæ est salus tua, & inter illa reproberis jumenta, quæ *computrescunt in stercore suo.* Ioel. 1. v. 17

Caveo simul hîc, ne tibi per illud abblandiaris, quod legis, *Homines & jumenta salvabis Domine: quemadmodum multiplicasti misericordiam tuam DEUS!* Multiplicat indubiè misericordiam suam DEUS, salvando homines & jumenta, adusq; demirationem Prophetæ. Sed jumenta hic accipe, plebeculam simpliciorẽ, quæ nescit *quid sit inter dexteram & sinistram*, & in bono ac meritorio suæ libertatis usu, morigera DEO, du-

Ps. 35. v. 8.

10.

cum

ctum eius interiorem, suâ simplicitate in omnibus, instar jumenti sequitur, nullibi recalcitrat.
11. Te, qui hæc legis aut meditaris, è numero plebeculæ simplicioris, cui per sensum accommodum jumenti nomen datum, eduxit DEUS; te inter suos constitutum, si necdum erudivit, erudit inter suos docibiles. quomodo ergo inter jumenta tuam sperabis salutem? quomodo aliàs DEUS te sub nomine jumenti salvabit, nisi cures totâ vivere vitâ ut homo, ut *tandē salveris homo.* Iam te dispice tā quo-
12. ad interiorē secundū utrumq; appetitū; quàm quoad exteriorē hominē, secundū omnes sensus, an sicut creatus es, ita homo es, & ut homo vivis.
13. Nabuchodonosor, *Septem temporæ*
Danielis *supra se mutari sensit, pro sua una super-*
4 v. 30. *bia*, justo DEI judicio formam bovis indutus, & fæno ut bos pastus. Teridates in suæ luxuriæ pœnam, speciem porci extimam justo tempore circumtulit: sic vitia in publicum scandalosa, extimam in homi-
ne

ne immutant speciem! Vitia sane
talia desint. at si vitiola interius la- 14.
tent, nec corriguntur; timendum ne
propalam DEI permissu erumpant;
timendum, ne saltem in oculis cæ-
li suam homini speciem confundant,
estò non immutent. Interius dolo- 15.
sum Herodem Divinus Christi ad-
spexit oculus, & iam Christus nole-
bat eum dicere hominem, sed vul-
pem; ubi ait, *Ite dicite vulpi ill.* Lucæ 13
Bona nobis est, hominis est species v. 32.
exterior. at cogitemus quam interi- 16.
orem speciem videt hîc & nunc in
nobis DEUS! Satis ad infamiam ho-
minis Religiosi, in auribus cœli au-
dietur, si in via perfectionis non
progredienti, jubeat nuntiari DE-
US, *Ite dicite testudini illi.* Necesse
est, homines hîc vivamus, non te-
studines; viam mandatorum eius cur-
ramus, rectas consiliorum eius semi-
tas, nobis faciamus, & incedamus
non reptemus; homines vivendo, ho-
mines salvi fiamus.

17. *Puncto III.* Cogita quid ſit *ſalvum fieri. Salvum fieri, eſt ſtatum omnium aggregatione bonorum perfectū indipiſci.* Expende ſingula. Felicitas illa æterna, æterna Beatitudo, dicitur *omnium aggregatione bonorum perfectus ſtatus.* Stare videntur, quæ mundi ſunt bona, cùm tamen nequeant ſta-
18. re, & omnia, etiam maxime immobilia, tranſitura ſint cum tranſeunte mundo. æternarent ſanè & ſtarent, quæ immobilia dicuntur bona, ſui tamen poſſeſſores, cùm in via ſint, ac ad terminum tendant, in æternitate ſibi præfixum, & hîc ſtare non poſſint; Status bonorum in tempore, vix ſtatus dici poteſt. quia vel bona ſtabilia, in eſſe conſtanter bonorum ſtare nequeunt: vel poſſeſſores eorum immutantur. æternum exambias tuo deſiderio ſtatum bo-
19. norum. Æterna Beatitudo, *Status dicitur omnium bonorum*: nemo unus in via habuit, aut habere poterit, omnia bona. in Patria, ſi caverit ſi-

bi

bi ab exilio æterno, quod infernus est, comprehensor homo factus ex viatore, omnia sic habebit, ut nullum sibi deesse sentiat bonum. Bonorum omnium status, æterna Beatitudo. Bonorum antonomasticè : 20.
in quibus nullum sit tantùm apparēter bonum : cùm viatoribus hîc & nunc multa illudant specie solâ bonorum, quæ non sunt, nisi apparenter bona. & talia ut plurimùm, hominem inducunt in peccatum : adverte ad fucum bonorum. *Perfectus* 21.
status omnium aggregatione bonorum ; bonorum ex integra causa, in nulla circumstantia bonitatis, tantò magis in nulla proprietate boni deficientium. Perfectus status omnium bonorum aggregatione, quæ simul omnia sunt. Perfectus status quia
omnia desiderabilia, cogitabilia, aggregata, æternùm durant. nec tempus pro mensura sui habent, sed 22.
æternitatem, cui nihil unquam decedit, nihil accedit substantiale.

Hæc

Habent aggregata bona in æternitate pro mensura *ipsum DEUM*, qui summum in aggregatis bonis, *Bonum salvati est.* & unus ac solus, si cætera omnia per impossibile desint, omnibus & singulis, in totam æternitatem, cum beatifica sui fruitione, sufficit salvatis. In revelata sibi prædestinatione sua, ubi certam spem salutis concepit Divus Franciscus Assisias, exstatico plenus gaudio, plures dies uunum ingeminabat, *DEO gratiat, DEO gratias* donec ad jubilum cordis, concinnato pæane, de subortis dubiis victor, creaturas in laudem DEI coordinasset. Si tantum salutis spes infudit gaudium cordi Assisiatis, quanto putas gaudio cor salvati, res ipsa salutis inundabit, dum homo salvus fiet? cogita. E ter-
23. tio redux cœlo Sanctus Apostolus, non sufficiens æternam explicare Beatitudinem, cuius prægustum est expertus, illud suis dedit Corinthiis
1. Corint. 2. v. 9. in Epistola *Nec oculus vidit, nec auris*
audi-

audivit nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS his, qui diligunt illum. hactenus Sanctus Paulus. Ecquis hominum, necdum cœlorum hospes, ausit assumere ad explicandum quid tandem sit salvum fieri? æternam Beatitudinem consequi? beatificè DEO frui! beatifico DEI amore, æternum flagrare, suavissimè flammare; beatifico, æternante gaudio, & delectatione, cor in amorem DEI dilatatum habere! Cogitare hîc & nunc libeat hæc, quæ non licet satis comprehendere. Conclude cum D. Augustino. *Nimis avarus est, cui (talia cogitanti) non sufficit DEUS.*

Colloquium exemplo Divi Francisci Borgiæ, ex illis, Regis Prophetæ verbis, formetur. *Quid mihi est in cælo & à te quid volui super terrâ. &c.*

Propositum practicum. Efficax nec sterile desiderium salutis.

Si habetur legatur, ex Patre Lessio libri 2di de summo Bono cap: 9. Quænam videantur à Beatis in DEO vel cum DEO, ibi suam, homo intelli-

telligens, prægustabit felicitatem conclusam in Ly *Salvum fieri.*

Mihi in opusculis Lessii est pag. 529. vel si hic liber non habetur, legatur de Manuali D. Augustini c. 7. quod si nec hic libellus habetur. hoc compendium inde desumptum sæpiùs hodie relegatur attentiùs. *Ibi sanitas sine languore : gaudium sine mœrore : requies sine labore : dignitas sine tremore : opes sine amissione : abundantia sine defectione : vita sine morte : perpetuitas sine corruptione : beatitudo sine calamitate. &c.* & his inter cætera, acuatur desiderium salutis & beatitudinis æternæ.

Adverte ad Connexionem.

Quia peccatum, creaturam intellectualem impedit in utroq; fine, scilicet tam immediaro adimplendo, quàm in ultimato consequendo; ideo Sanctus Pater scientissimus in via DEI, in via salutis Magister, fundamento fineq; hominis explicato, primum exercitium ordinavit de tri-

plici peccato. de Angelico: quod 1mum fuit; de paradisiaco, vel primorum parentum, peccato quodammodo universali, secundùm quod originale est, extēdente se ad omnes omnino qui sunt puri homines, unâ exemptà *Divinissimâ DEIparâ Virgine* Immaculatè Concepta; & hoc fuit 2dum. tandem de peccato particulari mortali, quo plures nonnisi uno perpetrato æternum damnati. hoc dicitur 3tium. Totum hoc, tribus compendiavit punctis in unum exercitium Sanctus Pater; quod in tres partior meditationes. Sic tamen, ut ad singulas, spectantia mysteriorum plena, puncta Sancti Patris, prius relegi velim attentissimè; simplicibus meditatiunculis Sancto Paterno spiritu animandis.

INCON-

INCONSTANTIA IN BONO, Via inchoativa ad perditionē, Creaturæ intellectuali.

SEU MEDITATIO *De peccato Angelico.*

1. IN timore & tremore, quousque vivimus, nostram salutem operari debemus, ne nobis adrepat peccatum, sicut olim adrepsit Angelis in cœlo. 2do, Quibus sua superbia damnabilis fuit, sed ad hanc via erat inconstantia in bene cœptis. 3tio. Unde etiam ruina Angelorum per Fulgur cadens exprimitur,

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Quæ olim suis discipulis in salutari timore continendis, verba protulit JESUS, *vidi Sathanam tanquam fulgur*, ea de peccato Angelico ex ore Sancti Patris deterrendæ Societati minimæ à peccatis, accipe. *Vide Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.*

Præludio II. Petatur auxilium gratiæ acceptis penetrandis.

Pun-

Puncto I. Expende. Quousq; in I.
via sumus, quâ ad Patriam pergimus, eò usq; intra spem & metum, attinemur vivere. ac non tantùm in timore, verùm etiam in tremore cordis, nostram & petere à Domino, & quantùm in nobis est, operari cum eius auxiliis salutem: monente per Apostolum Spiritu Sancto, *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* attinemur curare, ut non ad tempus, sed semper in via huius vitæ vivamus pavidi, olim in termino viæ, Beatorum nomen indepturi, iuxta illud, *Beatus qui semper pavidus.* siccine vivimus? Causâ continuãdi pavoris, brevibus expende. quia peccatum in cœlos etiam inter Puras Intelligentias, vel inter Angelos irrepsit, & de Angelis fecit sathanas. timendum ne irrepat etiam in cœlum terrestre, quod est Ecclesia DEI & Religio. Cœlum quidem in terra habent, qui fideles DEO, & religiosi vivunt; sed quia in via, &

ad Philip: 2. n. 12.

2.

Prov: 28 n 14

3.

necdum in termino sunt, timendum ne quibus erat promissum, *Erunt sicut Angeli DEI, qui non nubunt neq; nubentur*, promissione sibi datâ excidant, & de Angelis evadãt sathanæ.
4. Iam vide, an & quæ tuæ tibi sit spes & cura salutis? an pavori coniuncta, ut hic præscribitur. Quia si non peccaminosa præsumptio; certè nociva non tantùm Christiano, verùm etiam Religioso præsidentia est, nihil suæ timere saluti, sed quasi certum illius vivere, hoc solo, quia fidelis & religiosus est. cùm tamen omnibus in
5. metu salutari & officio suo continendis, universaliter Sanctus Apostolus
1. Co- inculcet. *Qui se existimat stare, videat*
rint. 10 *ne cadat.* B. Aloysius ad ruinam An-
n. 12. gelorum in contemplatione contremiscens, his gemebat: *Columnæ cæli ceciderũt, & confractæ sunt, quia non timendum arundini!*
Puncto II. Expende: in malis An-
6. gelis superbiam quidem damnabilẽ, & damnatam fuisse; sed ad hãc,
fuisse

fuisse illis pro via philautiam, vel amorem proprium, contemptivum aliûs naturæ intellectualis, scilicet humanæ, olim uniendæ Verbo DEO: & ex hac philautia, complacentiam sibi in se, vel suis talentis. quam cōplacentiam seu philautiam, Scotus luxuriam spiritualem in Angelis damnabilem nominavit. vide quàm infame nomen etiā in Angelis complacentiæ propriæ, in suis talentis; vel amori proprio tribuatur. Inter cætera tamen ad damnationem, vel superbiam damnabilem, malis Angelis, via fuit inconstantia in bene cœptis. Quod ipse Christus Dominus innuisse videtur illis verbis: *Vidi Sathanam tanquam fulgur de cœlo cadentem.* Fulgur, inconstantissimum, nec durabile nubium lumen, ut potè exhalatio accensa in nubibus, discurrens, & mox evanescens ac disparēs. Sic malis contigit Angelis. initio creationis suæ in cœlis, concreatam habentes gratiam & hi cum bonis

7.

8.

9.

plurimos certè elicuere actus, rectà
in DEUM tendentes; ſed mox DEO
quaſi relicto, ſe & ſibi à DEO data,
tanquam ſibi debita, reſpexerunt.
iterum forte illâ mediâ horâ, univer-
ſis Angelis ad promerendam felici-
tatem æternam conceſsâ, ad DEUM
converſi, jam non ita fervidi, illu-
xere ut fulgur: ac iterum imagina-
ria ſibi ſuperbè cogitare ſolia cœ-
perũt, DEUMq; plene relinquentes,
tanquam fulgur cadens è cœlo, eva-
nuerunt in ſuis cogitationibus pec-
minoſis, facti de Angelis Sathanæ:
quia in bene cœptis, ſibi non con-
10. ſtabant. Non vult DEUS Homo
JESUS, ſuos eſſe tanquam fulgur,
ſed jubet eſſe *Lucem mundi* conſtan-
tem, quam videant homines, & ſe
DEUM glorificent. Vult DEUS ut
in bonis ſemel cœptis ſẽper conſte-
mus: ſicut Sol ſibi conſtat in illumi-
nãdis ſublunaribus. videndũ hic qui
ſimus, qui eſſe debemus, & qua ra-
tione id aſſequi poſſimus.

Puncto III. Expende casum ma- 11.
lorum Angelorum his expressum. *Sicut fulgur Sathanam cadentem.* Fulgur quousque nubibus tenetur, licèt inconstans discurrat, & per modica interpolata spatia hîc illic luceat, tamen adhuc utcunque lucet; & dum *fulgurat in oriente*, ad oculos hominum, *paret in occidente.* Excussum nubibus fulgur, disparet, & evanescit; ac dum videtur cadere in terram, nuspiam amplius invenitur colligibile. Hoc dimissis propter su- 12.
um peccatum è cœlo Angelis contigit. Cadentes qui poterant esse Angeli lucis, sic in sua evanuerunt luce, ut Angeli tenebrarum sint & dicantur. Cadentes, sic æternùm periere, ut eos nec DEUS ipse apprehenderit collegeritque elevabiles in salutē. Miratur id Sanctus Apostolus dum ait, *Non Angelos, sed Semen Abrahæ apprehendit.* Supple in salutem. Admirabundus, adora & time abyssalia judicia DEI. Noluit autem DE- 13.

US malos Angelos apprehendiſſe in ſalutem, propterea primò quia cùm eſſent Puræ Intelligentiæ, non ex ignorantia ſed ex malitia peccaverunt. Secundò quia in cœlo, in loco Sancto, & à periculis peccandi remoto, iniqua geſſerunt, & ſic æternùm indigni evaſerunt videre gloriam DEI. Tertiò. quia primi peccando, ſine exemplo peccaverunt.

Quod Angelis cœlum, hoc proportionatè cæteris paribus eſt fidelibus Eccleſia DEI, & religioſis ſua Religio; æſtimanda religio! at ſimul timenda in ea ſimilia, quæ malos Angelos è cœlo præcipitaverunt, in barathra damnationis, ſine reditu ad ſalutem.

Colloquium inſtituatur, quod S. Pater in ſuo de peccatis exercitio præſcribit.

Propoſitum practicum. Conſtantia in bene cœptis juncta humilitati.

Teſſera hujus diei ſit, vel hæc D. Bernardi: *Peccatum eſt, perpetratio mali: delictum, eſt deſertio boni.* l. Med: c. 2.

vel hæc S. Basilii, nos à peccato deterrentis. *Magnus dæmon est peccatũ!* homil. ad Baptis.

vel illa Sancti Spiritus, per Ecclesiasticũ nos admonentis. *Fili peccasti? non adiicias iterũ.* supple peccare. Eccles. 21. a. 1

OMISSIO OFFICII Admissio est gravioris noxæ.

SEU MEDITATIO

De peccato secundo vel paradisiaco.

1. PEccatum pomo vetito consummatũ in paradiso, generavit mortem, nec unam. 2do Ad quod, per omissa officia, disposuit homines, otium & remissa sui ac paradisi custodia. 3tio. Unde postmodum omnia mala consecuta.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Apostolicam de ore Sancti Patris, præcavendis ac vitandis peccatis apprimè necessariam hanc cautelam accipe. *Peccatum cùm consummatum fuerit generat mortem.* Iacobi 1. v. 15.

Præludio II. Auxilium gratiæ DEI tam penetrandæ, quàm servandæ cautelæ efflictim pete.

Puncto I. In descensu è cœlo in

paradisum, ad penetrandas de horrore peccati veritates, inprimis Apo-
1. stolicam sic expende veritatẽ. *Peccatum* gravius mortale, sive cogitatione, sive verbo etiam unico, sive facto fuerit *consummatum*, indubiè
2. *mortem generat.* Solâ & unâ superbâ cogitatione in malis Angelis consummatum peccatum, (neq; enim illa cogitatio de solio ad Aquilonẽ ponendo & similibus, in effectum deducta) malis Angelis damnationem, quæ mors æterna dicitur, ge-
3. neravit. Multos clausit in totam æternitatem infernus, qui aliquando vel semel in blasphemiam os ape-
4. ruerant. In uno pomo vetito, unâ comestiunculâ factâ in paradiso, consummatum peccatum, generavit
5. mortem, eamq; non unam. Generavit mortem moralem omnium felicitatum paradisiacarum; quas & sibi, & nobis malè providi nostri protoparentes, in uno illo malo vetito, malè deglutivêre. Eadem parentum

rentum primorum transgreſſio Divini præcepti, generavit ſtatim in paradiſo, toti quantum quantum eſt, humano generi mortem corporalẽ, ubi vetitum guſtavere fructum. quia 6.
ex ea die & hora, totum genus humanum factum eſt obnoxium morti corporali, vel ſeparationi animæ à corpore, cui ante non erat obnoxiũ.

Eâ ſtatim horâ, qua comederunt ex arbore ſcientiæ boni & mali, ſibi 7.
vetita, inſtantaneè peccatum paradiſiacum conſummatum, generavit Adamo & Evæ mortem ut ita loquar ſpiritualem, vel mortem animæ. quia incompoſſibili cũ peccato, gratiâ ſanctificante privati, quæ animæ, pro anima eſt, in vitam ſpiritualem vivificante; animas ſuas tanquam cadavera ſpiritualia, Adam & Eva exules è paradiſo in terrã extulêre. & protoparentum, & tuum in eis dole caſum, conclude veritatem. quia peccatum paradiſiacum 8.
conſummatum generavit mortem:

eamq; non unam, licèt interim fuisse una videbatur in illa comminatione. *Quacunq; die comederis morte morieris.*

Ut efficax horror peccati conci-
9. piatur, expende vltra. Quia quandocunq; quis peccat graviter mortaliter, ex nunc suas facit intermori felicitates, temporalem sibi fortè coram DEO debreviat vitam, & quod maximum, in suam animam immisericors, quantùm in illo est, cogit eam emori, cœlo & DEO. & in corpore suo per animam vivente, animam sine gratia DEI, quasi mortuam, circumfert; quæ quousq; peccatum debitis non abolet modis, nec corpus potest in alia, nisi in mortua coram DEO opera animare: opera enim quantumvis videantur bona, si in peccato mortali fiunt, mortua dicuntur Theologis. Time & horre
10. peccatum. Cogita ultra consequenter. quia qui mortaliter offendit DEUM, & in peccato perseverat, animam quasi cadaver spiritua-
le,

le, malè cœlo, malè naribus Cœlitum, malè Angelo Sancto Tutelari, ipsi malè olidum DEO, circumfert. Tuæ qui hæc legis aut meditaris animæ miserere, ne quando tale evadat cadaver. Nauseamus cadavera, 11.
non tantùm brutorum, verum etiam amicissimorum hominum, si defluant in putorem: nullus dubita, quòd magis cœlum animas putore peccatorum fætentes nauseat, estò antequam peccassent, fuerint amabiles.

Et nostrum, & quodcunque nostro succedet sæculum, odit hactenus il- 12.
los tyrannos, qui excruciandis longâ morte vivis, mortuorum cadavera illis alligabant circumferenda. major ille sibi est tyrannus, qui quantùm in se est animam priùs peccato, quasi conficit, & emortuam gratiæ, circumfert vivo unitam corpori. Time igitur, non tantùm facto aut dicto, sed vel solâ cogitatione consummare peccatum; ne similem in te exerceas tyrannidem; & tuo vitio

gratiâ DEI privatus, exanimem circumferas animam; desertus à DEO, quia eum deseruisti, qui alias, ut Tridentinum ex D. Augustino lo-
Seß. 6 quitur, *Non deserit, nisi prius deseratur.*
cap. 11.
Puncto II. Vide iam tituli huic meditationi inscripti veritatẽ, quod
13. omissio officii sit admissio peccati.
Gen. 2. *Posuit* ait Sacer textus, *DEVS hominẽ in paradiso voluptatis*, & duo illi assignavit officia, *ut operaretur & custodiret illum.* Expende è paradiso etiá voluptatis, ubi omnium sufficientia, non modò ad necessitatem, verùm etiam ad voluptatem fuit, otia exclusa, & officium operandi est assignatum hominibus. Hinc in paradiso terrestri, quæ Religio est, præscribuntur opera quandoq; non necessitati, sed otiis excludendis. Hinc
14. & S. Pater singulos nostrûm iubet habere quod agamus, quousq; vegetas servat sanitas vires, nè *otium omnium malorum origo*, expende, *domi no-*
R. Sum. 14. *stræ locum habeat.* Vide & alterũ

offi-

officium; ſcilicet paradiſi, etiã cœlo vicinioris, *cuſtodiam iniunctam*, & 15.
fuiſſe omnino neceſſariam. hæcq; duo officia omnibus in Religione viventibus communia eſſe cum hominibus paradiſiacis. Conſidera ultra, quòd omiſſio officii fuerit admiſſio peccati in paradiſum, & animas hominum paradiſiacorum. Eva probabiliter aliquantum otiari cœpit. fortè & Adam, in illa rerum copia non multùm laboravit. advertit Angelus tenebrarum, qui bonis intentos operibus accedere timet; & appropiavit otioſorum paradiſo. Ac ubi in otio remiſſam paradiſi reperit cuſtodiam, formam ſerpentis indutus, intrò irrepſit in paradiſum. Eva incauta, & incuſtodita, intus & extra; quæ omni cuſtodiâ, etiam cuſtodiâ ſenſuum, cor ſervare debuit, non ſervavit; ſuggeſtioniq; diaboli locum fecit. tum ſenſibus vagabunda, incedens per paradiſum, *Vidit etiam vetitum, quòd eſſet pulchrum;*

16.

17.

aſpectu q; delectabile. Exiſiliit, ſerpentem indutus, Sathan, & humanas de-
Gen. 3. licatè ſibilare cœpit voces, *Cur vobis præcepit Dominus?* Eva quæ prius oculos ad videnda vetita, iam & aures ſibilo aperuit, & linguam in diſcurſum movit, ut præcepta Divina, quæ exſecutionem, non diſcuſſionẽ exſpectabãt, cũ dæmone diſcuteret, ac certa in dubiũ revocaret, dicendo Ne fortè moriamur. cùm tamen DEUS Æterna Veritas dixerit *Morte*, non fortè *morieris quacunq; hora comederis.* Auris & oculus licentioſus, pertra-
18. xere etiam manum, ad tactum pomi vetiti, vel per Evam, vel per dæmonem decerpti; tum deſcenſum eſt & ad eſum vetiti. Sic otia, &
19. non cuſtoditus paradiſus: ſic incauti interiùs & exteriùs protoparentes noſtri, in omiſſione officii paradiſiaci, ſerpentẽ infernalem in paradiſũ, & peccatum in ſuas admiſere animas. Viden quod omiſſio officii ſit admiſſio peccati gravioris? Paradiſum

diſum incolis, fuge otia; cuſtodi pa- 20.
radiſum. reptat etiam num per or-
bem, ſerpentem indutus dæmon,
time ne irrepat in paradiſum. à de-
licatiore etiam Sibilo illius cave;
omni cuſtodiâ non tantùm cor, ve-
rùm etiam ſenſus tuos ſerva, tuis in
tentus officiis.

Puncto III. Expende illa mala,
quæ conſecuta ſunt peccatũ paradi-
ſiacum, protoparentibus noſtris actu-
ale, nobis omnibus & ſingulis (ex-
ceptâ de puris hominibus Immacu-
latè Conceptâ Diviniſſimâ DEIparâ 21.
Virgine MARIA) originale. in-
nuo expendenda ex Sancto Patre,
totum humanum genus, (exime Be-
atiſſimam,) maxima invaſit corru-
ptio, omnia ſusdeq; pervertens in
homine, ut nec corpus animæ, nec
paſſiones rationi ſubeſſe velint. que-
ritur hac de re Sanctus Apoſtolus,
ubi ait: *Condelector legi DEI ſecun-* ad Rom.
dùm interiorem hominem: video autem 7. v. 22
aliam legem in membris meis, repugnã-

tem legi mentis meæ. ubi adverte, sic vitiatam paradisiaco peccato naturam, ut rebellio semel cœpta, quasi lege sibi firmârit repugnare menti.
Omnes originali iustitiâ privati su-
22. mus. in parentibus è paradiso dimissis exules, omnia quæcunque sub Sole sunt mala, expende illa, inde patimur. Adam & Eva in ærumnis maximis, & laboribus, totum vitæ suæ tempus traxerunt. ob unum il-
23. lud peccatum diuturnam, ultra nongentos annos pœnitentiam, egerũt. tot millia & millia hominum, occasione illius unius peccati ad inferos iam deturbata, tot adhuc ad consũmationem sæculi deturbanda! hæc
24. & similia, expende mala; ad unum, in una comestiũcula pomi vetiti gustum, sine regustu, consecuta; ut vel minora horreas peccata. Ubi simul adverte, in minimo, etiam in pomo uno, si sub graui interminatione prohibeatur, maximum posse
25. consummari peccatum. & infer ea, quæ

quæ parva videntur in se & sic prohibentur; non esse parva ex parte præcipientis vel prohibentis, nec esse contemnenda, si potestas legitima à DEO ordinata, præcipiat. vel prohibeat sub pœnis opinione majoribus. Te dispice an similia tibi quandoq; non fuerint in contemptu.

Colloquium ut supra formetur secundùm ea, quæ Sanctus Pater post primum de peccato exercitium præscribit: vel secundùm eos affectus, in quos motam senties voluntatem.

Propositum practicum. Tibi & tuis, attende officiis.

REFLEXIO

Horrori peccatorum semel concepto semper servãdo, assumat penetrandam veritatem, â S. Chrysostomo de peccato his conclusam:

Peccatum peius est dæmone. Hom: 28. In epist. ad Rom.

Paradoxa in speciem, sed infallibilis, & bene disposito intellectui planè manifesta veritas.

1. Reflecte te inprimis ad illud omnibus certo sensu acceptum, quia per plures inductiones certum, Philosophi Principium; *Propter quod unumquodq; tale, & ipsum magis.* Sic quia paries dealbatus propter albedinem est albus, assensu omnium, magis in se albet albedo. Sic quia fornax propter ignem sibi injectum ardentem, est calida; sensu omniũ, multò calidior in se est ignis sicq; ferè de cæteris. unde principium præjactum in sua veritate interim est integrum. Iam vide. dæmon di-
2. citur malus, & meritò; quia malus est Angelus. sed olim creatus fuit bonus, etiam moraliter. & hoc de fide, quia Sacer textus habet, *Vidit cuncta DEUS quæ creaverat, & erant valde bona.* expende. hoc si de aliis, tantò magis de omnibus Angelis creatis procedit, qui gradu naturæ, consequenter bonitate, omnibus creatis eminentiores erant. Bonus igitur fuit, qui modo malus est Ange-

lus,

lus, diciturq; iam dæmon vel Sathā.

Iam cogita unde qui fuit bonus, evasit malus Angelus: nec aliunde 3.
invenies factum malum, nisi per peccatum. manebit ergo irrefragabilis veritas, Divi Chrysostomi, quia *peccatum dæmone peius est.* quandoquidē propter peccatū malus est dæmon, & certum est illud, *Propterquod unūquodq; tale, & ipsum magis.* Adde. 4.
Angelus qui modo malus est, diciturq; dæmon, fuit bonus ut advertisti, estò iam in statu damnationis positus, nunquam sit futurus bonus moraliter. peccatū, nullum unquam fuit, nullum unquam ullâ bonitate peccatum erit bonum. & non con-concludes etiam exinde, peccatum merissimam esse malitiam, adeòq; *peccatum pejus esse dæmone?* Nihil 5.
fortè putas dæmone deformius, horribilius, ad aspectum. nec hoc immeritò. ita enim miser Angelus malus, in se deformis est, ut si DEUS non permittat illum transfigurari in An-

gelum lucis, malit serpentis, canis, porci, ursi, aut cuiuscunque bestiæ induere formam, quàm in sua secundùm suum peccatum, omnibus bestiis viliore & deformiore specie, comparere. Ad ictum nonnisi oculi permisit DEUS, quasi in sua forma dæmonem apparere Sanctæ Catharinæ Senensi: & mox deliquiū passa, tantùm non mortua; sensibus restituta, eligebat ire potiùs, per viam igneam, ad diem judicii duraturam, quàm illum semel ad ictum oculi videre. Ita fædus deformis & horribilis est dæmon ad aspectum. cui Sanctæ subjecit in visione Dominus

6.

Dialog. c. 38. *Vidisti, sed adhuc ignoras quantum dæmon horribilis est.* quanta putas deformitas in horribilitate, horribilitas in deformitate dæmonis! Post hæc omnia, crede, aut potiùs manifestā tene conclusam veritatem. Peccatum multò fædius, multò deformius, multò horribilius esse dæmone, quia per peccatū & fædus, & deformis, & hor-

7.

& horribilis evasit dæmon, qui olim ante peccatum erat bonus Angelus, amabilis & aspectu delectabilis: sicut modo sunt Sancti Angeli, qui vocantur Angeli lucis. Et non concludes etiam hic cum D. Chrysostomo *Peccatum peius esse dæmone*? & voles aliquando hanc deformitatem, quovis deformissimo dæmone abominabiliorem, inducere in animam tuam, quæ ad imaginem & similitudinem DEI creata, illam in sua pulchritudine conservare obligatur?

Ad aliud adhuc te reflecte principium, itidem manifestum, unde cum D. Chrysostomo, concludas iteratò *Peccatum pejus esse dæmone.* Utiq; verum & bene disposito intellectui manifestũ est hoc, quia à quorũ uno, maius, quã ab altero, provenit malũ; illorũ unũ, peius est altero. Sic peior v.g. pulice canis; quia plus mali provenit à morsu canis, quã à morsu pulicis. peior cane vipera, quia plus periculi timendum à vipera venena- 8.

ta, quàm à cane. Pejor aſpis quàm vipera, quia homini magis noxia eſt virulentia aſpidis, quã viperæ. Sicq; de cæteris. quæ omnia hanc ſibi conſtare faciunt veritatem, quia à quorum uno majus quàm ab altero provenit malum, illorum unum peius eſt altero. Deſcende ad intentum. Eſt ſua malitia dæmoni, & quidem præ-
9. citatis malitiis, & ipſâ baliſci malitiâ maior. at longe maior eſt peccato. eſt homini periculum à dæmone, ſed multò præſentius à peccato. Virulentiſſimâ contra hominem ardet invidiâ dæmon: ſed virulentiſſimo etiam dæmone, virulentius eſt animæ humanæ peccatum. Hoc iam vide. Conſtet homini ſua innocentia, & ab omni omnino peccato immunitas. ſic innocens, permiſſu DEI, ad probationem ſuæ virtutis, evadat energumenus; certè illâ quam habuit non privabitur gratiâ DEI, non privabitur filiatione DEI adoptivâ: non privabitur hæredi-

reditate DEI, cohæreditate Christi: & in divexatione quantacunq; per malum Angelum, si non melior, certè adhuc bonus, & amicitiâ DEI dignus manebit: quia gratia DEI sanctificans, cum quantalibet sævitia dæmonis in hominem, qui permissu DEI ex abyssalibus eius iudiciis affligitur, est compatibilis.

Porrò peccatum grave, mortale perpetratum, incompatibile est etiam divinitus cùm gratia DEI sanctificante habituali: eo ipso instanti 10.
quo homo graviter peccat, gratiam DEI, per quam erat filius DEI adoptivus, amittit; desinit esse filius DEI adoptivus; & inobediens verbo & mandato DEI de non peccando, si non evadit filius diaboli, iuxta illud, *Qui verba DEI non audit ex patre diabolo est*. certè exclusus ex amicis DEI evadit hostis DEI. Indubiè 11.
autem longè maius malum est, quod non est compatibile cum gratia DEI, quale est peccatum: quàm hoc quod

est cum illa compossibile malum, quale est dæmon in homine probo energumeno. longè maius malum est desinere esse filium DEI, & amicum JESU (ut olim erat Lazarus de quo mortuo ipse JESUS dixerat Lazarus amicus noster dormit,) quàm ad probationē virtutis evadere energumenum. multò periculosius, sine gratia DEI perseverare in peccato, censeriq; inter hostes DEI, quàm sævissimè etiam divexari à dæmone. Illud enim primum trahit secum damnationem certam: alterum si patienter suffertur & æquanimiter, gratiam DEI & meritum in præsenti, gloriam autem in futuro adauget. En tibi ad oculum mentis patet peccatum peius esse dæmone. & qui times fieri energumenus, adhuc non timebis, nec cavebis fieri peccator! quomodo, aut cur ex duobus malis majus eligis? contra communem omnibus sensum, quibus invaluit dicere, *Ex duobus malis minus; non maius* *eli-*

eligendum. Addo. Utiq; te judice 12.
longè majus & periculosius homini
malum est intrinsecum, per quod &
ipse evadit malus, quàm extrinsecũ,
quo homo vel non potest dici malus,
vel nisi impropriè & extrinsecè dici-
tur malus. Dæmon homini infensissi-
mus, fuerit sævissimus, tamen dæmo
extrinsecum est homini malũ. Pec-
catum si perpetratur, intrinsecissimũ 13.
est homini malum, quia in ipsa ho-
minis anima ut in suo infelici subje-
cto recipitur, (qualiter nec in ener-
gumeno recipitur dæmon) facitq;
hominem intrinsecè malum, & odi-
bilem DEO ac Cœlitibus. Et non
concludes etiã hinc majus esse ma-
lum peccatum, quàm dæmonem?
& in comparatione horum duorum
malorum, non assentieris D. Chry-
sostomo, convictivè hanc veritatem
concludenti, *Peccatum esse pejus ma-
lum pessimo etiam dæmone*? nolis eva-
dere energumenus; at tantò magis
nolis fieri peccator. Deniq; refle- 14.

ćte te adhuc, prædictæ veritati penetrandæ, ſupra hoc. Dæmon ſæviſſimus, & aliis peſſimis pejor, nihil in hominis animam, nihil in ejus libertatem prævalere poteſt, ſi homo pro eo ut debet cum auxiliis gratiæ DEI, reſiſtere velit. Lege hac de re vitam Sanctæ Juſtinæ Virginis Martyris, aliaſq; ſimiles, & verum
15. eſſe, quod dicitur, videbis. Hoc autem inde eſt: quia quam DEUS ipſe non vult in hominibus læſam, dæmon nullo modo poteſt hominis ſibi reſiſtentis lædere libertatem. Sollicitare poteſt, pellicere poteſt, allicere, & illiciis, ni ſibi homo caveat, inducere in peccatum poteſt: cogere ad peccandum non poteſt hominem, etiam ſæviſſimus dæmon.
16. Ama DEUM qui tantam tibi contra dæmonem conceſſit libertatem, ſuâ naturâ voluntati inſitam! Ama DEUM qui contra omnes inferni impetus, parata habet, & tibi offert ſua auxilia, modò ea in aſſultibus dæ-
monis

monis uſurpare, tuâ cooperatione, velis? Iam verò ſi peccatum da- 17.
mnationi obnoxium, homo perpetrat, & illud in animam ſuam conſciſcit, adjicitq; audax ultra peccacare; videat, ne captivatam ſentiat ſuæ voluntatis libertatem. Habet ſuam peccatum legem, ut licentiosè pro libertate peccantes, captivare poſſit. In perſona peccatoris, 18.
gemit Sanctus Apoſtolus: *Sentio in membris meis legem - - - captivantem me in lege peccati.* expende. Homo, qui fuit in omnigena libertate, captivatus, habet quidem voluntatẽ liberam, ſed vix cum uſu libertatis, in omne bonum ſibi cupitum; quia impeditum libertatis habet uſum. time ſimilia à peccato gravi. Pec- 19.
cas graviuſculè? vix non captivari tuam permittis libertatem. Sordeſcis in peccato? jam ſic peccatum in te regnare permittis; contra quã nomine DEI te monuerit S. Apoſtolus; *Non regnet in corpore veſtro pec-*

catum. Quisquis malè audax in gra-
20. viora, & graviora scelera proruis; vide, ne regnātis in tuo corpore peccati, mancipium evadas; cum Christus dicat *Qui facit peccatum, servus est peccati.* expende. Quodsi verò voluntas cæteroqui liberrima, in aliqua specie mali per lapsus, & rela-
21. psus habituetur, vix non inducet sibi quandam necessitatem peccandi, in ea specie peccati, in qua est habituata: & ni tempestivè sibi caverit, ne habitum contrahat, gemet olim quasi in servitute, illud. *Non quod volo bonum hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.* ad Rom: 7 v. 19. Lege ulteriora Sancti Apostoli, &
22. disces facilè, quòd in malum nostrũ, majores sint vires peccati gravioris, quàm ipsius dæmonis. & adhuc non concludes pejus ipso dæmone esse peccatum? & non horrebis peccatum magis, quàm dæmonem, maxi-
23. mè horribilem? næ ille mihi totus quantus plumbeus, in centrum terræ,
ubi

ubi infernus eſt tendere jã videtur, qui plusquam auream veritatem, à Sancto Doctore Chryſoſtomo, ſic dicto ab aureo in eloquentia ore, non vult apud ſe habere approbatã. Approbabis, ſi facto ipſo peccatum mortale magis oderis, fugiesq; quã dæmonem. Hactenus ad paradoxã D. Chryſoſtomi veritatem reflexio.

Ne autem mora trahatur in peccatis, tertio, vel particulari peccato, adjungo exercitium Sancti Patris in eadem meditatione expendendum, de processu in peccatis propriis particularibus revocandis in memoriam ad deteſtationem, ſupernaturalem dolorem, juſtificationem de præteritis, & cautelam de futuris.

VIRULENTIA
Unius etiam peccati gravioris Satis eſt ad mortem æternam,
SEU MEDITATIO
De tertio aut particulari peccato graviori.

1. VEnenoſiſſima peccati gravioris virulentia, ſemel etiam guſtata, in ſemper hominem facit filium perditionis. *2do.*

Decurre tuam totam vitam, & vide num aliquid in ea non fuerit graviuſculum, ſimul cura dignos pœnitentiæ fructus facere, de præteritis ſerio. Et cavere futura peccata, propter imbibita illis prædicata.

Oratio præparatoria ſolita

Præludio I. Audi S. Patrem de illis, qui uno, damnationem ſibi conſcivere peccato; hæc tibi dicentē. *Guſtantes guſtaverunt*, ſupple vetitum, *& ecce mortui æternum!*

Præludio II. Pete lumen ſupernaturale, diſpiciendæ veritati.

Puncto I. Cogita periculoſam ſem-
1. per fuiſſe, & eſſe nunc vel modicam veneni guſtationem etiā ſine regustatione: quia niſi præpediatur vel naturaliter, vel miraculosè effectus, ſemper eſt mortifera. Plus quàm venenata peccato mortali ineſt virulentia, naturaliter non attemperabilis. expende, ne facilis in graviora
2. vivas proruasq;. Fuerit ſanè qui profecit poto Mitridates ſæpè veneno; ut ſibi nulla nocerent. Nemo unus peccando mortaliter, ſic profecit,

cit, ut post peccata perpetrata, sibi innoxius viveret, & vitæ æternæ securus. apprehende hanc veritatem.

Plurimi, primo & uno peccato 3.
mortali, æternum sibi nocuerunt; ab una eius perpetratione, damnati in æternum! Caim uno damnatus fratricidio, æternas patitur pœnas.

Saul, propter unam cautelæ sibi 4.
per Samuelem datæ, ne in Sacerdotale se ingereret officium, prævaricationem, à terreno & cœlesti regno, semel in semper reprobatus! Una 5.
contra legitimam potestatem, contra Moysen & Aaron murmuratio, disclusit terram, reclusit aperuitq; barathrum, Core Dathan & Abiron; inclusitq; eos inferno cum congregationibus murmuratoriis. Sapphirã 6.
& Ananiam proprietarios, unum quod commiserunt in auribus Apostolorum mendacium, è vivis exclusit. Dominus novit an non stygio inclusit carceri, quia ut ait S. Apostolus *mentiti sunt Spiritui Sancto.*

1. p. octid.

7. In brevi, plures crede in inferno esse, qui vix vetitam gustavere voluptatem graviter peccaminosam, & in ipso actu mortui, damnatiq; illud suo malo plangunt, *Gustantes gustavimus, & ecce mortui sumus æternùm!* Cave ne vel semel audeas peccare graviùs. Ut caveas omne mortale, illud breve, sed emphaticum cogita de illo dictum Tertulliani: *Peccatum mortale, devoratorium salutis.* Ab Ecclesia DEI, tantò magis à Religione procul ais fratricidia, & Ananiæ Sapphiræq; mendacia, seditionesq; contra ordinatam à DEO potestatem. Utinam verò hæc inde exulent. Innuo præcautioni religiosorum: innuo 1mo. in ore religioso, de rebus usui concessis, pertinax illud verbum, *Meum est*, mendax est, Ananiæ verbum est. Innuo 2do. omnibus ad cavenda sine cæde & sine sangvine fratricidia, illam Sancti Apostoli majorem, *Qui odit fratrem suum homicida est.* Innuo 3tio.

1 Ioan. 3 v. 15.

Qui

Qui etiam sine murmure, *Potestati & ad Rom.
sic DEI ordinationi resistunt, ipsi sibi da-* v. 8.
mnationem acquirunt. ait S. Aposto-
lus, quod certè formidandum.

Puncto II. Institue processum, jam 9.
non de alienis, sed de tuis particu-
laribus peccatis; per quem totius
vitæ in memoriam revocentur, per-
cursis gradatim ut vult Sanctus Pa-
ter, discussisq; annis & spatiis tem-
porum singulis; consideratis locis
habitationis nostræ, personis quibus
convivebamus, conversationum mo-
dis, & diversis generibus officiorũ,
seu negotiorum, quibus functi su-
mus. Ac inprimis si hactenus ne 10.
semel fecisti, totius vitæ à primo
usu rationis, quoad fieri potest dispi-
ce cogitationes tuas omnes & singu-
las. Si hoc primum factum est, pro-
gredere ad alterum dispiceq; atten-
tiùs cogitationes vitæ Religiosæ,
secundùm prædictas circumstantias.
& vide an de omnibus & singulis,
saltem Religiosis cogitationibus,

tanquam de una possit è vero dici, *Cogitatio illius apud Altissimum?* an nulla unquam ex illis reptabat humi? an nulla earum inquinata infimis? an non opus sit, etiam de Religiosis cogitationibus dispectis, hic & nunc in auribus DEI conqueri, *Cogitationes meæ dissipatæ sunt?* simul cura adinvenire, sub tempus collectionum, rationem efficacem colligendis tenendisq; cogitationibus dissipatis, ne
11. ultra dissipentur. Dispice postmodum totius vitæ, aut saltem Religiosæ, saltem hujus anni ab ultimis collectionibus, verba singula: quæ, quo fine, quibus, vbi, quâ opportunitate, quo fructu sunt dicta. Vide an secundùm Christi monitum, *Omnis sermo fuit, Est, Est; Non, Non;* an *ab his aliquid abundantiùs non fuerit à malo?* Vide an omnia verba fuerint in ædificationem? an nulla fuerint in destructionem? Vide & cura adinvenire simul his corrigendis mo-
12. dum. Decurre similiter totius vitæ,

tæ, vel tantùm Religiosæ, vel si cætera benè olim expensa, decurre hujus anni facta: in quibus vide primò, an non commissa mala, & quæ commissa. an non omissa bona, & cur omissa? An bona, bene perfectéq; facta. in via enim DEI, homini ad salutem suam tendenti, hi præscripti sunt passus. *Declina à malo*, ad quod duo referũtur, non committere scilicet malum, & non omittere bonum, ad quod non omittendum teneris. & *Fac bonum.* ad quod itidem duo requiruntur, ut non quomocunq; bonum, sed bonum bene fiat. quia D Gregorius ait, *DEVS non soluit verba sed adverbia.* Secundùm hæc, tua dispice facta: & exhinc non tantùm commissionem malorum, verùm etiam omissionem bonorum, vitanda: nec tantum bona, sed etiam bona bene facienda, conclude. In reliquo cogita de præteritis dignos pœnitentiæ fructus facere, monente Præcursore Domini

1. p. ccbd.

14. *Dignos facite pœnitentiæ fructus.* Quoad primum, fiet, si cogitationes dissipatæ, in collectionibus collectæ, non ampliùs dissipentur, sed omnes & singulæ sint, tanquam una cogi-
15. tatio apud Altissimum. Quoad secundùm, fiet, si exhinc ex præscripto Christi, omnis sermo noster erit. *Est, Est. Non Non, & nihil ab his abundantius habebit*: verba autem omnia in ædificationem, nulla in destructi-
16. onem ordinabuntur. Quoad tertium, fiet si secundùm prædicta declinabimus à malo, & faciemus bona, intuiti exemplar nostrum Christum; qui & in via peccatorum non stetit, & bona omnia bene fecit.
17. *Puncto III.* Ex mente Sancti Patris, expende imbibita peccatis prædicata, Fæditatem, Gravitatem, Malitiam, ut propter illa à peccato inseparabilia, odio perfecto, expende, ne sit imperfectum & inefficax odium, oderis quodcunque peccatum.
18. Fæditas peccati ad ipsum lumen natu-

naturæ quanta sit, ex eo patet. quia nemo unus hominum, quantumcunq; effrons, vult in oculis hominum peccare, vel in publico à forma sui delicti denominari. sic minora etiam furta fures, aut furunculi, erubescunt palam facere. Hinc re bene expensâ Theologi, omne universaliter furtum, sive veniale sive mortale, illud sit, definierunt esse clancularium rei alienæ acceptionem, invito rationabiliter domino. & quis de perditissimis etiam hominibus vellet fur omnibus vocari? Si tanta furto inest, quanta putas fædioribus peccatis imbibita est fæditas? Et hoc est quod dicitur de illis, quos suæ passiones abripiunt in sequiora: N quærit A, hoc est nequitia quærit angulum. certè propter intrinsecā sibi fæditatem. Ubi expende obiter, si non plenam cæcitatem, saltē cæcitati proximè accedentem eamq; periculosam lippitudinem nequitiæ. quæreret sanè nequitia, donec inve- 19.
1. p. octid. niret

niret angulum, ubi secum non haberet bonum sibi additum Tutelarem Angelum, contra se, de nequiter actis, testem futurum: ubi non haberet malum Angelum, contra se instigatorem ex svasore futurum! ubi vigilem supra se DEUM non inveniret, qui propter immensitatem infinitudini identificatam ubiq; & semper est, & totus oculus est. ipsa nequitia, talem non inveniendo angulum, nollet esse in actu exercito nequam, idq; propter fœditatem peccatis imbibitam. Gravitas cuius-
20. cunq; peccati tanta est, ut secundũ graves Theologos, qui peccatum in ratione offensæ simpliciter infinitum docent, pro nullo, etiam pro minimo veniali, nulla pura creatura; non si omnes etiã Angeli SS. hominẽ indui vellẽt, possent satisfacere. Expẽde hanc gravitatẽ peccati seriò. Et quæ hominis audacia putas est, tantum tamq; grave debitum contrahere, quantum nunquam ulla pura cre-

atura exſolveret, niſi Chriſtus de ſangvine ſuo Deifico, copioſam nobis debitoribus providiſſet in ſuis meritis redemptionem! Malitiam pec- 21
cati uno conclude brevi ratiocinio. Utiq; verum eſt. Quod directè Summo opponitur Bono illud neceſſe eſt eſſe ſummum malum. *Sicut* enim per Philoſophum *habet ſe ſimpliciter eſſe ad eſſe, ſic magis ad magis*: adde ſummè, ad ſummè. Peccatum quodcunq; ex ſua ratione generica opponitur Summo Bono, quod DEUS eſt. Quid ergo bene diſpoſitus intellectus inferet aliud, quàm hoc, Ergo peccatum quodcunq; ex ſua ratione generica ſibi imbibita neceſſe eſt ſummum eſſe malum. & quod conſequitur neceſſariò, omnibus aliis majus malum eſſe peccatum, hoc enim eſt eſſe ſummum malum. Et non 22
concipies ex his, omnis omnino peccati odium perfectum, ne aliquando vel minimum audeas contra DEUM. Convincat de hac veritate intelle-

1. p. ethic. ctus

ctus voluntatem: Voluntas omnia colligat odia in unum, & transferat in peccatum. alia enim odia ut plurimum vitiosa, & DEO non placita: hoc quo odimus peccata, & perfectum, & meritorium, & DEO placitum est odium. hoc habere curemus: & fugiamus peccatum, tanquam à facie colubri.

Colloquium quod supra de primo exercitio Sancti Patris formetur.

Propositum practicum, Odium & fuga peccati.

Si variare tesseram lubet, licet. hæc sit. Time vias à DEO distortas. *D. Augustinus lib. 3 Confess: c. 3.* vel hæc. Væ tibi, quicunque desi-
D. Bern: l. 4 Med- cap. 26. deras redire ad vomitum.

Connexio Exercitiorum.

Ut peccata, quæ hominem impediunt in fine consequendo, vitentur, Sanctus Pater Ignatius, certus quòd memoria novissimorum arceat ho-
Eccl: 7. v. 4. minem à peccatis secundùm illud, *In omnibus operibus tuis memorare no-*

vissima

vissima tua, & in æternum non peccabis, unum ex novissimis, scilicet infernũ homini maximè formidabilẽ assumpsit in contemplationẽ; quam vult fieri per applicationem sensuum; ut sensus, qui solent esse duces in peccata, videant quæ se maneant, & quidem æternæ pœnæ; ac desistant animam evocare ad peccandum.

Quia verò ad finem huius de inferno contemplationis, permittit S. Pater posse institui meditationem etiam de morte, quæ ferè prima est in numero novissimorum, efficaciterq; potest hominem arcere à peccando, proinde ex indulto Sancti Patris, inferno præmitto meditationem de morte, de qua unus è religiosis moriens ad circumstantes, dixit. *Ignoscite fratres, nemo qui mortis memoriam animo infixerit, unquam peccare poterit.*

PRIMUM NOVISSIMUM SEU MEDITATIO

De Morte.

1. Rei læsæ Maiestatis Divinæ vivimus, omnes in corpore mortali tanquam in carcere, mortem inevitabiliter statutam exspectamus eccur peccamus? 2dò Quæ nostra præparatio ad mortem? Substantialis præparatio est vita, bona, sancta: emundata vitiis, emendata virtutibus, estne? 3tio. Habemusne iam aliquid indicium nostræ Bonæ in mortem præparationis.

Oratio preparatoria solita.

Præludio I. Accipe Apostolica de ore Sancti Patris expendenda verba hæc de morte. *Statutum est hominibus semel mori.* ad Hebr. 9. v. 27.

Præludium secundum consuetum.

1. *Puncto I.* Cogita qui reus læsæ graviter majestatis, attinetur carcere, novitq; in suam mortem decretum latum, à summa subscriptum potestate; amarescens in anima de prætetoritis delictis, in præsenti sibi ab omnibus cavens, ejurans futura, temporaneam in spe non habens vitam, unam

unam in re exſpectat mortem; illicq; ſe præparat, tẽpori moriturus, ut æternitati bonæ ordiatur vivere.

2. Rei læſæ majeſtatis Divinæ, & quidem graviter læſæ, rei vivimus. in corpore corruptibili, tanquam in carcere ad executionem decreti, ſervatur anima, unde gemit Apoſtolus. Infelix ego homo! *Quis me liberabit de corpore mortis huius. legunt alii de carcere mortis huius.* ſupra corpus corruptibile, tanquam ſupra carcerem excubias quodammodo agit tẽpus, exſpectans evocationem vel ſeparationem animæ à corpore.

3. Omnes rei vivimus læſæ majeſtatis, ex originali peccato; non pauci, ex actualibus propriis, fortè nec paucis, (diligenter expende) mortẽ exſpectamus. Decretum ſtatutum eſt in mortem à ſumma poteſtate, à DEO ipſo, & ſubſcriptum adhuc in paradiſo, pomi vetiti ſucco, ſingulis

4. hominum, *Morieris*! Ecquid peccare audemus? cur præterita non

detestamur? cur non deflemus? cur præsentia non vitamus? cur à futuris nobis non præcavemus? certi mortis, in stipendium iam perpetrati peccati, mox accessuræ? Ex-
5. pende ultra Sancti Apostoli verba. *Statutum hominibus.* Terminus universalis indefinitè prolatus, secundùm Philosophos pro universali sumitur. Omnibus ergo hominibus, & tibi, qui in universali contineris, *statutum mori* indispensabiliter.

6. Salomonem à morte non vindicavit cælitus infusa sapientia. ab hyssopo incipiēs, omniū herbarū penetravit naturas, nec invenit in eis remediū contra mortē. Samsonē sua morti non eripuit fortitudo. defluxit pulchritudo Absalonis in sepulchrū. Divino conformē cordi Davidē, sanctitas à temporanea morte non liberavit. Moriuntur & Sancti vitæ temporaneæ *Reginam Sanctorum omnium MARIAM fortis ut mors dilectio*, ex hoc sæculo in alterum eduxit. *Sanctus*

ctus Sanctorum IESVS, quia Homo dignatus eſt vivere, voluit mori. Tota ergo quanta inductio oſtendit, *Statutum eſt hominibus mori: & quidem ſemel* nonniſi mori. Ut ſi malè quis ſuo vitio moriatur, non detur ei corrigere. memorne vivis lati in te decreti? eſtne? & quæ tibi eſt, in bonam mortem præparatio.

Puncto II. Cogita duplicem bonæ morti præparationem præmittendā eſſe. unā ad eſſe bonæ mortis ſimpliciter neceſſariā. aliā neceſſariam ad melius eſſe. prima illa præparatio ſubſtantialis eſt, altera accidentalis. 7.
Subſtātialis indiſpenſabiliter neceſſaria ad bonā mortē præparatio eſt, vita de integro bona: & anima in ſupernaturalibus actibus, qui neceſſitate medii ſunt neceſſarii ad ſalutem, ex uſu eorum frequenti, habituata. quia mors, eſt echo vitæ; ſi vita male audiebat, certè non melius reſponſabit mors echo vitæ. Vita bona, eſt vita ſancta, vita ſancta, eſt 8.

legibus vel sancitis DEI, sancitis Ecclesiæ, sancitis tui instituti, tuoq; statui & officiis, conformis. expende & vide num ea tibi sit quam in præsens vivis. Actus necessarii ad salutem sunt, actus fidei, spei, charitatis, contritionis. resignationis in beneplacitum DEI, & similes. quis & quàm frequens eorum tibi usus.

9\. Memini me legisse in D. Basilio quòd vita Sancta, *sit vita emundata vitiis & defectibus, simulq; emendata virtutibus & perfectionibus* statui debitis. Idem D. Augustinus ad vitam boná & sanctam requirit, ubi ait: *Habitaculum cordis nostri evacuetur vitiis, virtutibus repleatur, claudatur diabolo, aperiatur Christo.* Iam in tuum descende cor, clausumne inferno & ejus suggestionibus? apertumne cœlo & Divinis inspirationibus? Vide conscientiam tuam an ex omnibus, & singulis emundata est vitiis? nec satis est hoc ad bonam vitam & sanctam, nisi emundetur sua cuiq; conscien-

serm: 252 de temp.

ſcientia, præcipuè tamen religioſa, etiã ex defectibus. fuerit ſanè quoad utrumq; emundatio, adhuc parum eſt, niſi vita iam emundata vitiis & defectibus, ſit emendata virtutibus & perfectionibus ad expulſa vitia & defectus è diametro oppoſitis. Suã quiſq; hic conveniat animam & conſcientiam, videatq; an ſaltem ſubſtantialis hæc in bonam mortẽ præparatio habeatur. Fruſtra autem 10.
illam differs in tempus ægritudinis vel mortis, vix enim ibi aliquid aut nihil fiet. infirmitas gravior, diſtrahet animam; & corpus adobruet doloribus; unde homo vix ſui memor decumbet. Senſus ſi non præmorientur, certò hebeſcent. Oculi primi morientur, fortè obſurdeſcet auditus. fortè nec erit qui bonos aut inclamet, aut audiatur inclamans actus, omnino ad ſalutem neceſſarios: cor ultimum moriens, ſi dum homo ſanus vivebat non eſt bonis informatũ ex habitu contracto acti-

bus, nesciet suam ultimam necessitatem salutis, inter dolores adspirare DEO cordis auditori. Si sapis, nunc in sanitate integra, ex integra causa bonam in mortem cura præparationem.

11. *Puncto III.* Cogita bonæ præparationis in mortem, signum esse omnibus commune fidelibus; Pacatè, non patiendo remorsus conscientiæ, mori, etiam in defectu confessarii: nec inducias, reconciliationi cum DEO, postulando, si quod subitaneum malum corripiat hominem. Habesne hoc saltem commune indicium bonæ tuæ ad mortem præparationis. In religiosis bonæ præpa-

12. rationis in mortem, signum est non timere ingruentem iam mortem: etsi ingruat mortis horror, imperturbabiliter illum expedire, Divi Hilarionis verbis, animam alloquẽdo: *Quid times egredi? octoginta ferè annos servivisti DEO.* tuos hic examines annos, quos DEI servitio impendisti!

disti! Religiosi bene in mortem parati indicium est, cum lætitia mori, ut moriebatur D. Aloysius, ad nuntium mortis, levatis in cœlum manibus, levatâ, quantùm per infirmitatẽ licuit voce, illud ingeminans, lætantes imus, lætantes imus. Reli- 13.
giosus in ipsa mortis amaritudine cœlestem videtur prælibare dulcedinem: qualem B. Stanislaus Kostka prægustasse creditur, dum moriens facie ad lætitiam explicatâ, labia sic composuerat, ut viderentur distillantia favum mellis. Similem 14.
ille alter suo ævo Augustinus, noster Suarez sensit in amara morte dulcedinẽ, qui in sua agonia inter cætera est prolocutus: *Nesciebam quàm dulce sit mori!* Suntne hæc nobis indicia bonæ præparationis in mortem felicẽ, sanctã, pretiosam? Tempestivè curemus, ut in ultimo vitæ nostræ tempore sint. Semel mori! semel in semper! sine reditu ad temporaneam vitam sperato, mori! O quã-

tum requirit, semel sanctèq; per omnia mori!

In Colloquio, pro pretiosa morte Sanctorum in conspectu DEI ha-
15. benda, supplica Divo Josepho, cui in agonia JESUS & MARIA adstitere, & oculos in mortem clausere, ut sic eius mors pretiosa esset in conspectu Domini. Supplica Divinissimæ DEIparæ Virgini Matri dolorosæ, quæ sub Cruce JESV agonisantis, in omnes felices, sanctas,
16. pretiosas mortes, accepit privilegium, depluo JESV sanguine consignatum. Supplica agonisanti JESV Cruci confixo, & pete, ut tuam, suâ sanctificet, agoniâ.

Propositum practicum. Tempestiva, & quoad fieri cum gratia DEI potest, condigna præparatio ad mortẽ sanctè obeundã.

Tessera hodie sit vel hæc. Uno tantùm gradu, ego morsq; dividimur. *1mi Regum 20.*
vel hæc: Singulis momẽtis morimur. *D. Augustinus lib. Medit. cap. 21 n. 1.*

ÆTER-

ÆTERNA Damnatorum angustia. SEU MEDITATIO.

De inferno.

AUctor sum, ut de inferno eiusq; pœnis æternis, desumatur contemplatio tota quanta, ex S. Patris nostri exercitiis, in quibus ferè verba singula, Spiritus & vita sunt. si verò exercitia S. Patris non sint ad manum, possunt subsequentia dare materiam meditandi de inferno; sic ordinetur postmodum meditatio.

1mo. Sanctorum exemplo, speculativè per contemplationem, in infernum descende vivus, ne practicè semel illuc devolvaris mortuus, 2do. Si per applicationē sensuum, horres omnes attingere damnatos cum tormentis? Unum epulonem ibi à morte sepultum vide; & in salutem tuam abhorrebis ab inferno. 3tio. In quo nulla redemptio, nulla pœnarum relevatio, nullum in ardoribus sempiternis refrigerium.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. De ore S. Patris, tuæ saluti addictissimi, accipe per modum

salutaris consilii illud Davidicum; *Descendant in infernum viventes*, & speculativè infernum contemplari velis, ne contingat eum practicè experiri.

Preludium II. Sit consvetum, petendæ gratiæ, ad contemplandum infernum.

Puncto I. Expende hanc ex San-
1. cto Augustino desumptam veritatē, *Infernum cogitas, extinguis: non cogitas, vide an non accendis?* Expende, materia inferni, peccata hominum graviora; non expiata. his accenditur infernus, si non cogitatur cum pœnalitatibus suis, peccata expiaturus. extinguitur quoad hanc vel illā personam, si timore inferni peccata præcaventur. Hinc Divus Chryso-
2. stomus in Archiepiscopali Patriarchali suo conclavi, mortis & inferni icones, maximè aspectabili collocaverat loco, ut qui semper ubiq; providebat DEVM in conspectu suo, mortis memor, infernum depictum

ctum sæpiuscule intuendo, illum sibi quoad se extinguat semper. Hinc illud Jobi continuo reformidantis 3.
infernum, & eius incendia, dictum est, *Infernus domus mea est.* Hinc S. Borgia, unam universæ suæ scientiæ formando thesim conclusit; *si quid scio, hoc tantùm scio, quia infernus domus mea est.* expende. Numquid his prædictis sanctiores vivimus, qui contemplari infernum æternasq; illius pœnas refugimus? Expende Jo- 4.
bianam & Borgianam thesim. *Infernus domus mea est.* DEUS Verbũ, qui naturam humanam assumpturus erat hominibus redimendis, Humanæ naturæ iam à constitutione mũdi honorem quodam modo habendo, infernum paravit rebellibus Angelis, non hominibus. Claré hoc sonant decretoria Christi verba, damnandos in barathrum de valle Josaphat præcipitatura, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & Angelis ejus.* vi-

den? non fieri id loci mentionẽ parati hominibus inferni? Quisquis ergo hominum emeretur inferni pœnas ſuis demeritis, ille ſibi in inferno domunculam, anguſtias undiq; patientem, eheu infelicem parat! quam ſibi noluit paratam eſſe DEUS. ibi ejulabit, *Vndiq; mihi angu-*
5. *ſtiæ!* *Infernus domus mea eſt*, vide an non poſſis è vero dicere? fortè iam huic domui aliqua fundamenta jacta! fortè & ſuperſtructio aliqua addita! ſuam quisq; hic conveniat conſcientiam, & ex hinc, ſæpius quã olim, infernum cogitet, ut cœptam demoliatur inibi ſtructuram, & eum, qui continuo ardet, extinguat potiùs quàm accendat ignem; ne tandem infernum omnigenis refertum crucibus experiatur.

Puncto II. Si tua apprehenſio, omnium ſenſuum applicatione, quod Sanctus Pater ſvadet, horret omnia objecta & ſubjecta attingere; unum omnibus ſenſibus attinge illum divitem

vitem epulonem mortuum, ac in inferno ſepultum. Intuere quomodo totus quantus igne penetratus, 6.
undiq; horrendùm flammans, igneas planè fundit lacrymas! audi ſimulq; vide, quomodo illud ejulans, *Crucior in hac flamma*, pro verbis, ignitos inferni carbones deſolatorios evomit! Vide, & contemplabundo palpa tactu, flammeas in quas epulo actus eſt damnationis cruces! Omnes, & ſinguli ſenſus; omnes qui ſunt in corpore nervi, venæ ve- 7.
nulæ, muſculi: omnes & ſingulæ potentiæ animæ, in crucibus damnationis, juſto DEI Iudicio excruciantur! Infernalia dæmonum damnatorumq; ſpectra, tenebræ Ægypriacis deniores, & urentes; crux ſunt epulonis oculis, ad delectabilia objecta olim plus juſtò intentis! Carmen inferni, blaſphemiæ, lamentationes æternaturæ, exprobrationes ſcelerum, proſciſſiones ad invicem crudeles, væ æternum, auri-

bus miseri divitis ad lenocinia illicita olim intentis, pro cruce sunt! Qui delicatulus, & suæ nari, & aliis, pretio notabili bene volebat in sæculo olere; ex sepultura inferni, ipse sibi in mephitim evadens; quidquid graveolentiæ infernus habet habebitq́; ex ambustis damnatorum corporibus: quidquid ex defluis in centrum terræ, ubi infernus est, putoribus, de terra ante diem judicii per ignem destillata sordium influet; utrâq́; oppletâ nare combibit, combibetq́; epulo: & id totum, infernali ignitum flammâ, in locum odoris ejus naribus pro cruce est, eritque! Tactus in vita toto malè diffusus corpore; quoquo se vertit, justè ardores sempiternos, & ignem urentem, pro cruce invenit, palpatq́; & patitur flammas! Gustus pro luxu mensæ, *fel draconum, venenum aspidũ insanabile*, pleno sorbet ore, ad has inferni cupedias, per dæmones coácto! Lingua pro venulis, igneas,

contra legem DEI verbis prolatis, elaboratas cruces, in epulone damnato ostentat! Una pœnarum æternitas, memoriam pro mille excruciat crucibus! Intellectus, qui per transitoria, evanida, saluti æternæ nociva distractus; novissima providere neglexit in bonum suum, sibi ipsi crux damnationis erit! Voluntas propria, (juxta illud Divi Bernardi. *Cesset voluntas propria & infernus non erit*,) sola architecta inferni pro hominibus, voluntas epulonis inferno absorpti, una maximè omnibus damnationis excruciatur crucibus! vide tuas animæ potentias. vide singulos sensus corporis, vide quid emereantur. Horres forsitan, nec immerito, horribilem in se contemplari infernum? dum tempus est *operare bonum ad omnes, maximè ad domesticos fidei. Carnem tuam cum cōcupiscentiis crucifige.* damnatus epulo ex amore sui proprio, ut notat Bellarminus, suis timebat fratribus

8.

9.

ne in similem veniant damnationẽ, & se coarctent: time tu etiam tibi, ne similia, malis illis, experiaris; quæ expertus, experieturq́; æternùm epulo sepultus in inferno.

Puncto III. Cùm oppositorum ea-
10. dem sit per oppositum ratio, jam cogita quia sicut de beatitudine æterna Apostolus illud conclusit, *Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS diligentibus se*; & conclude similia de damnatorum æterna infelicitate; Nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ DEUS præparavit odientibus se damnatis, tam in pœna sensûs, quàm in pœna damni, consistẽte in carentia visionis DEI, eaque
11. æterna! Expende, *æterna pœna.* Imaginare hic. ex omnibus, vel nostri unius hemisphærii, vel utriusq́; aquis, hydraulicam, vel ex omnibus terræ pulveribus, arenis maris, ex ipsis etiam atomis, clepsydram fa-

ctam, & vel in alterum hemisphe-rium, vel in alium imaginarium mũ-dum, hydraulica machina, inter mil-le milliones, ac milliones millionũ annorum, unam stillet guttulam: una atomus post milliones, milliones, milliones ac milliones millionũ an-norum, è clepsydra lentissimo de-scendat motu: decedet aliquid v-triq; effluet tandem aliquando post omnia exspectantium tædia, effluet vtraq; clepsydra aliquando. æterni-tati, quæ sicut beatorum ita damna-torum est mensura, nihil unquam decedit, tota semper simul est!

Omnes, quæ ab initio mundi fu-ere, qualicunq; elaboratæ artificio 12.
schedulæ, omnia quæ fuere ab ini-tio mundi arborum, florum, grami-num folia, & foliola; colligãtur, vnis formãdis numeris. primo foliolo vel schedulæ sit minimus, omnes possi-biles numeros, milliones millionũ, superans numerus. cœlestis quispiã de Cherub arithmeticus, crescente

in ſingulis ſchedis, foliis, foliolis, numero. idq́ creſcente per proportionem geometricam millecuplam, omnia & ſingula, iam folia, iam ſchedas, chartas, philuras conſignet impleatq́ numeris, faciat computũ, annorũ humano ſenſu æternorũ; æternitatem nec attinget, quæ tota ſimul in ſe, nec admittit computũ, quia in illa nihil unquam quoad ſub-
13. ſtantiam variabile! O æternitas! o æternitas! ſicut in Sanctis DEI, omnibus amabilis, deſiderabilis! ſic in damnatis, formidabilis, in pœnis æternis! ubi non datur ulla aſſvetudo, quæ imminuit paſſionem: non datur etiam vlla relevatio: refrigerium etiam modiciſſimũ inter ignitas damnatorum cruces nullum!
Per utrumq́ hemiſpherium diſpo-
14. ſitam Eccleſiã DEI militantẽ, abundè inundat in copioſam redemptionem Sanguis Redemptoris JESV, & omnem ritè volentem animam, expende ritè volentem, emundat ab omni

omni ut ait Apoſtolus peccato. *Adora Tuum Redemptorem.* Exundat ex Sanguine JESU redemptio copioſa, etiam ad vicinum inferno purgatorium, per oblationem DEO ſacrificiorum; per applicationem aliorum à fidelibus ſuffragiorum, vel in refrigerium, vel in eliberationem à reſiduo pœnæ reatu, per peccatum contracto; ut ſic bonæ animæ expiatoriis addictæ ignibus iuvamen habeãt. at de hac copioſa Sãgvinis JESU redemptione, Sangvinis in redemptionem efficacis, nulla vnquã ſtilla pertingit ad damnatos: quia quoad hoc, inter animas purgatorii & damnatas, magnum chaos eſt! ſicut & inter militantem Eccleſiam, ex qua, damnabiles, ſub mortem, ſuâ finali impœnitentiâ in æternum proſcripti ſunt. ah time hanc proſcriptionem! Plus cogita, quia guttam 15.
etiam aquæ inter cruciatus flammarum, nunquam habuerunt in refrigerium damnati. bonarum de expia-

tione purgatorii transeuntium animarum, vox illa est. *Transivimus, sic tamen quasi per ignem & aquam.* expende. hæserunt semel, hærent, hærebuntq; æternùm in sua damnatione damnati, guttam in refrigerium aquæ non habituri. Edisce id è sepulto apud inferos epulone; simplicis guttulam aquæ, de illo, quē olim purulentum nauseabat, Lazari digigito intincto aquis, petiit tanquam à suo Patre Abraham, nec impetravit! En nihil relevationis, nihil vel modici refrigerii, in pœnis æternis damnati, nihil in suæ damnationis habent crucibus; quantumcunq; ejulent, *Crucior in his flammis.* Horre infernum, ut evadas.

Colloquium è consilio Sancti Patris triplex institue. illudq; ad Christum JESUM Cruci confixum. Primum ad pedes JESV clavis terebratos, ut omnes passionum motus, qui fortè in damnationem aliquando emovebantur, præteritos condonet, à fu-

à futuris præservet. Secundum ad manus JESV clavis confixas cruci, ut sequiora opera manuum tuarum à malis depuret, & meliora fieri de suis donet meritis. Tertium ad ipsũ cor JESV lanceâ apertum, ut JESVS optimus, affectibus cordis qui non secundùm placitum eius fuere, donet veniam: & meliores ex hinc coordinare dignetur. Singula colloquia terminentur per Pater Ave.

Propositum practicum. Quæcunque opportunitate; præcipuè in qualibet occasione peccandi pœnam & horrorẽ gehennæ cogita: illudq́; sæpius animo revolve; *Quis potest habitare cum igne devorante,* Isaiæ 33

HORA REFLEXIONIS

Utramq́; de novissimis præjactis conjunget Meditationem, reflectendo se super hæc.

Ibit homo in domum æternitatis suæ. Eccles. 12. 5.

IN tempore vivimus: Vtinam non soli vivamus tempori! qui tandẽ tempori moriemur, & vivere æternitati non desituræ incipiemus! quã

frequens, & quàm seria est hac de re nobis cogitatio? vide. In tem-
2. pore vivendo, quilibet nostrûm, æternitatem sibi, quam eligit, suo libito parat. arbitrio enim creaturæ intellectualis libero, electionem æternitatis reliquit DEVS. quis vsus liberi arbitrii? Duplex æternitas
3. est; una felix, beata, omnium aggregatione bonorum perfecta, & super-adimpleta: altera infelix, maledicta, omnium aggregatione malorum oppleta: vide quàm eligis! tu dum vivis, tuæ tibi æternitatis, architectus es! in qua tibi paras domum? hoc sonat prædictus sacri eloquii textus, *Ibit homo in domum æternitatis suæ!* *Non habemus hîc*
4. *manentem civitatem*, ait Sanctus Apostolus. Apostolicam veritatem tot iam nobis probavere, quotquot vel olim vixere, vel nostro convixere nobis sæculo, & commigrârunt in æternitatem, vel in domum æternitatis suæ. & tibi tandem commigrandũ

erit

erit in æternitatem, utinam bonam, bonis aliorum vestigiis! certum est, *quia ibit omnis homo in domum æternitatis suæ.* Ductum secutus mortis, seriùs aut citiùs volens nolens, secundùm illud, ducunt volentem fata, nolentem trahunt, ibit homo ab exilio evocatus in domum æternitatis suæ. paratusne iam es egredi?

Exules vivimus! temporanea vita sapit? exilium sapit! Corruptum 5.
est animæ palatum, quod in tempore transitoriis delectatur; æternùm autem mansura, etiam prægustare fastidit. Si præsentia evanida tibi sapiunt, tu certè patriæ illi, quæ sursum est, desipis! timereq; non immeritò debes, ne barbariem, exulū à patria cœlesti apostatarum Angelorum, contractam habere arguaris; qui dum exulant, patriam, quam poterant habere, iam non cogitant. Vt cogites, frequentius hæc tuo revolve in animo, *Ibit homo in domum æternitatis suæ*! Æternitas, amabile 6.

simul & formidabile verbum; cùm iuxta præjacta, sit in se duplex. Ductus ipse in æternitatem horribilis est, quia ductus mortis est; quâ mortalibus vix aliquid horribilius. rarus est, quoad hoc Divo Martino similis; qui sicut vivere non recuset, ita mori non timeat; æquanimis ad utrumq;, in neutram partem prægravante bilance. vide ne mortis etiã ductum horreas, ac tempestive securum tibi iter provide, quo tandẽ eas *in domum æternitatis tuæ*.

7. Æternitas verbum immensurabile. nulla æternitatis cogitabilis vel imaginabilis mensura, præter DEVM. DEVS semper est, semper & semper totus est. Sic utraq; æternitas; nihil ibi effluit, de quo dicatur, *Fuit iam non est*. Nihil affluet, de quo verum sit dicere, *Non fuit sed erit*. Totum simul in æternitate quoad substantialia semper est, sicut DEVS totus semper est, qui est mensura æternitatis. Te recollige, ubinam domum tuam, in qua

æternitate tua habebis? En quæ 8.
hominis vires! breves dies vivit
homo, & ſuam ſibi æternitatẽ ædi-
ficat! Sic ſonat ſacri veritas eloquii.

Vtiq; ais DEVS omnia fecit? quo-
modo ergo homini æternitas ſua fa- 9.
cienda relicta? ajo: DEVS omnia,
DEVS æternitatis domum utramq;,
tàm cœleſtem, quàm inferam, in
qua nullus ordo, ſed ſempiternus
horror inhabitat, fecit cauſativè,
ſeu in genere cauſæ efficientis. Sed
æternitatem, & utriusq; æternitatis
domum exædificandam meritoriè,
vel in genere cauſæ moralis, reli-
quit DEVS in manu liberæ intelle-
ctualis creaturæ; *ante quam poſuit
bonum & malum, ut ad quodcunq; vo-
luerit extendat manum.* Reflecte te,
ſupra te: quo tuam extendis manũ?

Ædificavit ſibi, & ſuis, pro DEO
ſecum commilitonibus, Sanctis An- 10.
gelis, S. Archangelus Michàél; ædi-
ficavit domum æternitatis feliciſſi-
mæ. Ille qui olim Lucifer nunc

Luci-

Lucipèr dictus, ædificavit sibi & sui sequacibus malis Angelis, domum æternitatis maledictæ, & quidem in momento suæ rebellionis! Sic
11. pro diversitate meritorum, vel demeritorum, & homines sive beati, sive maledicti, suam sibi ædificavere æternitatem. Te circumspice qualem ædifices, & in qua æternitate domum, in quam certò, dum minimè speras, ibis. Bonam operare æternitatem, dum tempus habes: *Ibit homo in domum æternitatis suæ!*
12. Si irem in domum æternitatis, quam mihi in sua cruce exædificavit in genere causæ moralis Christus: si irem in domum æternitatis, quam mihi sub Christo moraliter ut causa secunda exædificavit meritoriè meus Sanctus Pater: irem in domũ ætereternitatis meæ; citra formidinem. At quia mihi eundum erit in domũ æternitatis meæ, quam mihi emereri debeo, & quidem ibo ductu mortis: hic timor conturbat me. Tempestive consulendum, ne turbemur.

Ratio hîc positæ succedentis Meditationis.

QUia primus humilitatis gradus, singulis ad salutem necessarius: secundus, in omni statu, ad vitæ sanctitatem connitentibus, conveniens; tertius autem ad religionem aspirantibus, ac in ea proficere satagentibus, est quasi proprius. ideò ubi prima sacri octidui pars, omnibus quodammodo communis, terminatur, & 2da, religiosis in via DEI proficientibus, accommodatior, inchoatur; censui tanquam in confinio statuum, de tribus humilitatis gradibus ex S. Patre agendum.

HUMILITAS Evasio inferni, & cœli Ascensus.

SEU MEDITATIO

De tribus humilitatis gradibus.

1mo. HUmilitas primi gradûs, quâ nos penitus legi Divinæ subdimus, facit nos & periculum inferni evadere; & cœlis, nomine hominum, venire. 2do.

1. p. octid. Secun-

Secundi autem gradûs humilitas, in sancta venialium fuga consistens : cœlo nos propiùs admovet. 3tio. Qui verò tertium adscendit humilitatis gradum, in eligibilibus Christum sequendo, eligendoq; ea quæ Christus elegerat, quasi manu tenebit cælū.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I Accipe illa ex ore Sancti Patris verba, quæ de humilitate expendas : *Vbi est humilitas, ibi & sapientia.* Proverbiorum 11.

Præludium II. Consvetum.

Puncto I. Cogita. Cœlitum sapi-
1. entiâ opus est, ut homo evadat infernum, si fortè illi appropiaverat. Certa enimverò tibi hæc sapientia, si humilitas adamatur ; fides enim est : *Vbi est humilitas, ibi & sapientia.* Crede, quia superbia addensavit inquilinos inferni. Crede, quia ne-
2. mo unus ex humilibus est accola superbi apostatæ Angeli, Patrisfamilias inferorum. Vnde si vis evadere infernum, nullus dubita evadis facilè, primoq; fere passu, recedis quā

lon-

longiſſimè, ſi primum humilitatis gradum adſcendes, quem neceſſitate medii neceſſarium ad ſalutem; oſtendit S. Pater dum ait. *Subde te penitus Divinæ legi, & humanæ, ſub peccato graviore obliganti.* Vtiq; idem 3.
eſt evaſiſſe infernum, quod conſequi 4.
ſalutem? vtiq; conſequi ſalutem, & vitam æternam poſſidere, pro eodē eſt? vtiq; vitam æternam poſſidere, idem eſt, quod ad æternam ingredi vitam? Hoc totum in uno accipe compendio, & expende. Quærit
nonnemo ex ipſo JESV: *Magiſter* 5.
bone, quid faciendo vitam æternam poſſidebo? cui Chriſtus; Hoc unum primò primum neceſſarium ad ſalutem reſpondet: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*; aliàs non ingreſſurus. en neceſſitate medii ad ſalutem requiritur, primus hîc gradus humilitatis. Vbi cogita, quia nomine mā-
dati irreſtrictè accepti, vtramq; com- 6.
plexus eſt legem Chriſtus, & Divinā & humanam ſub graviore obligantem.

tem. Sed ad servanda mandata, ne-
7. cessarium est, quod addit S. Pater,
ut non quomodocunq; , sed *penitus utriq; te subdas legi*, hoc est, tàm secundum interiorem, quàm secundum exteriorem hominem, nunquam & nuspiam, sive in animo cogitatione, sive extra verbo, aut opere, contrariando legi Divinæ. Tenuistine
8. firmo vitæ vestigio hunc primum necessarium ad salutem humilitatis gradum? Fac omnino teneas. aliàs si tantùm secundùm exteriorem hominem servabis mandata, time ne in eis colloceris, de quibus ait Rex Propheta: *Tanquam oves* extra, intus autem si non lupi, saltem vulpes, *positi in inferno*. Et apud cœlites nomen etiam hominis vix habebis: in quo te facilè convinces, si hæc expendis. Vtiq; certum est; Qui est extra descriptionem hominis legitimè ex instinctu Spiritûs DEI formatam & acceptatam Ecclesiæ, ille non est homo: res enim sine ta-
libus

ibus suis quasi definitivis, & quo-
dammodo, constitutivis, esse non
potest. Qui primum humilitatis
gradum à S. Patre descriptum non 9.
habet, ille est extra descriptionem
hominis, legitimè ex instinctu Spiri-
tûs DEI formatam & acceptatam
Ecclesiæ: Cœlum enim hanc ho-
mini per Ecclesiastem formavit de-
scriptionem. *DEVM time, & manda-* Eccl. 12
ta eius serva, hoc est enim omnis homo.
Audin! vniversalissimam omnibus
quasi definitionem in sacris eloquiis
datam, qui nomine hominum vo-
lunt vivere, audire, & venire cœlo?
Si ergo quis mandatis DEI renuit 10.
se penitus subdere, mandata DEI
non observat, consequenter DEVM
non timet, & quod consequitur de-
scriptionem homini cœlitus datam
non habet, nec habebit apud cœli-
tes nomen hominis. Vide quanta
sit necessitas huius gradûs humilita-
tis: quem si habes, & homo es, & 11.
spe certiore vitam æternam habes,

& infernum evadis ; quem illi in-
grediuntur, qui mandata DEI & hu-
mana, ſub graviori obligantia, trans-
grediuntur. ſi non habes, & nomi-
ni tuo, & tibi time.
Puncto II. Ubi evaſiſti infernum ,
12. cœlo appropiare paras , bene eſt ;
hæc enim eſt alia domus æternita-
tis, illa *civitas futura* , æternùm ma-
nens, quam totâ quanta vita noſtra,
quærere debemus , qui hic *manentem*
non habemus civitatem. Gradus qui
te cœlo admovere poteſt commo-
diſſimo aſcenſu, eſt gradus 2dus hu-
13. militatis , ſecundùm S. Patrem in
hoc conſiſtens, ut *nullam, etiam veni-*
alem culpam , *quantæcunq; felicitatis* ,
vel propriæ mortis conditione propoſitâ ,
unquam admittas ; quod ſi facis, jam
ſecurus inferni, cœlo vicinior, non
abſimilem vives vitam cœlitum,qui
omnem omnino noxam habent exo-
ſam. Vixiſtine ſic aliquem an-
14. nũ, menſem, hebdomadam diem ?
P. Ludovicus de Ponte , viginti an-
te

te mortem annis, voti Sacramento firmavit, nullum se deliberatum, etiam veniale peccatum, velle admittere. Et probabile est, quia cum auxilio gratiæ DEI, voto stetit: unde moribundus SS. Angelorum habuit assistentiam. Numerabisne 15.
in tua religiosa vita saltem tot dies simili sanctitate consummatos! ut quod residuum vitæ est, vivas similis Sanctorum, monet S. Pater eodem 2do gradu humilitatis, obfirma per indifferentiam, tuum in æquilibrio fixo animum, ut æquè sit propensus ad divitias & paupertatem, ad contemptum & honores, ad secunda & adversa, ad vitam ac mortem; & nullus dubita, quia vitabis deliberata venialia, quæ utplurimùm, declinato modicè animo ad aliquod extremum, committuntur, ut reflexio ostendit.

Puncto III. Desiderio, aut potius firmo statuto vitandi venialia cœli- 16.
tibus approximatus; inardescis qua-

si manu tenere cœlum? E secundo humilitatis gradu adscende 3tium, in hoc consistentem, *ut exemplo IESV, sub cujus nomine v.v.s., eligas id, quod eligebat Christus*, adeòq; quod in oculis DEI perfectiùs est. nullo alio superaddito, quoad utramq; partem eligibilium, indifferentium, si laus DEI par foret, & sola imitatio Christi accederet, elige, quod Christus elegit: & pæne intentum habes. Nullo certè superaddito, eadem fo-
17. ret DEI gloria, si *Verbum Caro factū, Rex Regum, dominantium Dominus*, sub forma Regis & *Domini vniversorum*, nostram in medio terræ operaretur salutem, sicut eandem operatus est in forma servi: eadem enim *Persona VERBI*, dignificaret Theandrica DEI-Hominis opera, in nostram salutem facta, utroq; eventu; DEUS-Homo tamen elegit vivere pauper,
18. contemptus, illusus, &c. Hunc ut imiteris, 3tium tene humilitatis gradum & elige potiùs cum paupere
JESU

JESU ſpreto, & illuſo, pauperiem, contemptum amplecti, quàm opes, honores & ſimilia, idq; ex eius imitatione: ad quam vi tuæ vocationis teneris. Expende. Homo vivis non qualiscunq; de populo DEI, ſed religioſus ſub nomine JESU, unde religioſam & abſolutiſſimam ex Chriſto condiſcere & imitari debes humilitatem; de qua exactius infra: quod ſi facis, Chriſtum ponè ſecutus, quaſi manu tenebis cœlũ. Chriſti enim illud eſt: *Volo Pater, ut ubi ego ſum, illic ſit & Miniſter meus*, ex imitatione meo notabiliter. Statue quoad 3tium humilitatis gradum, ponè Chriſtum ſequi. Ut tandem conſequaris.

Colloquium dirige ad Diviniſſimam DEIParam Virginem, Abſolutiſſimum Humilitatis exemplar, ut Virgineo Materno ductu, in tertio humilitatis gradu te ſiſtat.

Propoſitũ practicum. Nunquã ſolvere, ſemper ad exemplum DEI JESV adimplere legem: & in eligendis IESUM ſequi.

Si placet tesseram variare sub vesperam. hæc sit. Sacrifico mactans vetustatem meam; & inchoo meditationem renovationis meæ. *Divus August. lib. Confess. 9. c. 4. 1. 6.*

vel hæc: Fac omnia sicut Filius DEI, ut dignus sis eo, qui te dignatus est filiũ vocare. *D. Bern: Med: 6. n. 4*

Hactenus 1ma pars octidui, ferè communis omnibus proficere in via DEI, volentibus. iam succedit pars secunda, religiosis in via perfectionis proficientibus accommodata: in qua, simili methodo connexæ ordinantur meditatiunculæ.

PRÆ-

PRÆTER SIMILITVDINEM, Eminentia vocationis, supra creationem.

SEU MEDITATIO

De beneficio vocationis religiosæ.

BEneficium vocationis perquam simile est beneficio creationis, Eminentius tamen quid est Vocatio religiosa, quàm creatio. Vnde etiam eminentior debetur DEO gratitudo, pro vocatione, quâm pro creatione.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare, quòd Sanctus Pater collectos ad solitudinem, sub oculo JESU sistat, illosq; jubeat audire de beneficio vocationis, quod est principium & fundamentum vitæ religiosæ.

Præludio II. Adoratum in spiritu & veritate JESUM, audi hæc tibi de tua in suam Societatem minimã vocatione, innuentem: *Ego elegi vos*: Adora iteratò, quia non modo in-

vocatis, sed in suis electis quodã modo te censet JESUS, in sua Societate.
Præludio III. Cõsveta gratiæ petitio.
Puncto I. Cogita. quia sicut cre-
1. atio est fundamentũ vitæ humanæ; ita vocatio in religionem, vitæ religiosæ initium, fundamentumq; est: proinde beneficium vocationis, beneficio creationis est persimile; & utrumq; magnam ad invicem habet secum analogiam. adverte, non pono paritatem omnigenam; sed analogiam: præcipuè in his tribus.

1mo. Sicut creatio, est omnino
2. ex nihilo: ita & vocatio religiosa, tantùm non ex nihilo esse videtur. Creatio ex nihilo subjecti: vocatio vix non ex nihilo meriti. creatio, non potuit cadere sub meritum, quia mereri non potuimus; qui nihil merum, aut in nostro nihilo eramus. vocandi, iam quidem sumus; & in statu gratiæ viventes, mereri nobis alia, & aliquatenus fortè vocationem, possumus. defacto tamen loquendo, gratia sanctæ vocationis,

vix unquam cadit ſub meritum de condigno. adeoq́ ſicut dum creamur, ex nihilo educimur ad eſſe: ſic dum è ſæculo in religiones evocamur, vix non ex nihilo meriti, ad ſtatum maximè meritorium evocamur. Et hinc eſt quod magni Aſcetæ, pro condigno æſtimatores ſanctioris è ſæculo nequam, evocationis, ad religioſa, advitalitia, jurata DEO obſequia; Ingreſſum in religionem, quoad gratiam ſanctificantem, baptiſmo æquiparare ſoliti erant. Unde Sanctus Thomas Doctor Angelicus 2. 2dæ Qu. 189. art. 3 ad 3m hæc ſignanter habet: *Legitur in vitis Patrū, quia eandem gratiā conſequuntur religionem intrantes, quàm conſequuntur baptiſati.* expēde & tuo aſſenſu, accede his vocationis ſanctæ æſtimatoribus. hæc ad 1mam analogiam vocationis cum creatione:

2do. Poteſtatē creandi nulli DEUS creaturæ communicat, ſed eam penes ſe ut cauſa principalis retinet. 3.

non è vero homines, abusivèq; dicunt de hominibus: Hic mea est creatura. potestatem vocandi in religiones similiter solus habet DEVS; hinc illud Christi est ad suos discipulos in Societatem vitæ Apostolicæ evocatos; *Ego elegi vos.* neget, si quis potest, aut audet negare Christo, hanc vocandorum electionem. Certè *non in persvasibilibus humanæ sapientiæ verbis*, ad religiones itur, humana svada, auribus loqui potest, non cordibus; in quibus vocatio subnasci solet. Crede Divo Augustino, *In cœlo cathedram habet*, inquit ille, *qui corda hominum docet*, & cave alteri quàm DEO tuam tribuere vocationem. cave dixeris, non ex DEO vocationem habeo, qui vocatus es in Societatem JESU, à quo audis *Ego elegi vos.*

4. 3tio. Sicut ad creationem cætera subsequentia consequuntur bona: sic ad vocationem consequuntur ea, sine quibus vita religiosa non vivi-

tur.

tur. vnde sicut creatio est fundamẽtum vitæ humanæ, sic vocatio, religiosæ vitæ est fundamentum. Vide quàm firmum apud te sibi constet hoc fundamentum: quia si vocatio vacillat, iam vitæ sanctioris, & consequenter salutis vacillabit fundamentũ: infallibiliter autẽ vocatio labefactabitur, si quis sibi malè persvaserit, eã non ex DEO esse.

Puncto II. Vide eminentiam vocationis supra creationem, qui iam vidisti similitudinem illius cum creatione. Utiq; etiam te iudice, bona supernaturalia præstantiora vel eminentiora sunt bonis naturalibus. conclusit hanc, vnus pro omnibus Theologis, veritatem, Angelicus Doctor, ubi ait; *Bonum gratiæ unius* (puta supernaturalis) *majus est quàm bonum naturæ totius vniversi.* expende penetrativè hæc, ut præ omnibus naturæ bonis, majus apud te pondus æstimationis habeat gratia DEI. necessario ergo ex his se- 5. 1 2æ. Qu 113 art. 2.

quitur etiam beneficium vocationis eminentius esse bono creationis. Ad creationem enim consequuntur dona naturalia, qualia v. g. sunt, sanum corpus, membris integris, sensibus non obtusis: anima in suis potentiis vivaciter ad suos usus expedita. Adverte etiam hæc dona dici; quia qui habet hæc, tanquam de donis, gratus DEO vivere debet: qui non habet, non potest licitè conqueri de DEO, tanquam de debito sibi negato. Ad vocationē autem consequuntur bona & dona supernaturalia, altioris ordinis, eminentiam vocationi super creationē
6. adstruentia. Duplicia enimvero cogites bona spiritualia: alia dona gratiæ gratum facientis, alia dona gloriæ. Omnibus vocatis à DEO in religionem, dantur dona gratiæ consequentia vocationem. his nonnisi qui perseverantes in bono salvantur, dantur dona gloriæ. & hæc sufficiunt puncto. Cætera si placet.

per

per otium relege tuo solatio :

Qui in Soc: JESV vocati, perseveranter in ea vivunt, donec pro cubiculo, tumba eis inscribatur hac epigraphe, *Societatis I E S V*, salvantur singuli ; quod ex pluribus *constat revelationibus* ; vnde ad vocationem religiosam in Societatem J E S U, non tantùm dona gratiæ, verũ etiam dona gloriæ certò consequũtur si in Societate JESU minima perseveranter vivis, ad usq; exspiriũ animæ. 7. P. Lanc: de præst: inst: S. I. l. 2. c. 11. n. 165.

Compendiavit dona supernaturalia, tam præcedentia quàm subsequentia vocationem, Sanctus Apostolus, suâ ad Romanos gradatione hac, quam verbatim & affectuosè expende, gratus D E O. *Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, hos & vocavit, quos vocavit, hos & iustificavit : quos iustificavit hos & glorificavit.* ad Rom: 8 8.

Vocatos ad Societatem JESU, in quibus tu unus es, *præscivit ab æternus Pater* omnino *conformes debere fieri*

imaginis Filii sui JESU: & quæ vitæ nostræ conformitas ad vitam JESU? singulis quidē salvādis fidelibus hæc necessaria; sed nobis, qui in minima Societate vivimus, magis plena necessaria, quia sub eius vivimus nomine. curamusne hanc plenitudinē conformationis nostræ ad JESUM? Ad hanc conformitatem prævisam, prædestinatio (quæ est collectio omnium donorum supernaturalium ad salutem requisitorū) consequitur.
Prædestinavit nos, *&* *vocavit* ad istā
9. conformitatem suo sub nomine indipiscendam in Societate minima, in qua nihil est quod desideres de mediis ad salutē necessariis. omnia abunde habes. expende. *Quos vocavit, & iustificavit* iam toties, tum
10. in ingressu religionis, tum in prima nuncupatione votorum: ubi tanquā modo genitos infantes, levat nos Mater religio. Justificavit toties & iustificat in usu digno Sacramentorum, in repetitis votorum renovationibus:

onibus: justificavit & justificat in vsu crebro justificantium actuum supernaturalium, amoris DEI, doloris de peccatis; obedientiæ, præsertim in arduis. Spes in eo est, justificabit & finaliter, si perseveramus.

Quos finaliter justificavit, evocatos e militante in Societatem triumphantem, jam & glorificavit. Persevera. *Memor IESVS Verbi sui*, in quo *nobis* per Apostoli gradationem *dedit spem*; & nos perseverantes justificabit finaliter, & glorificabit. sed vide, conformis evadere imaginis Filii eius, enitaris. aliàs sine hac conformitate nihil omnium prædictorum habebis. 11.

Puncto III. Cogita quantum ex prædictis appretiare debes beneficium vocationis in Societatem JESU. Salomon olim de Sapientia cœlitus accepta DEO gratus dicebat; *Omnia bona mihi pariter cum ea venerunt.* & Dominus novit, an illa sapientia Salomonem salvavit. Sal- 12.

2. p. octid. vabit

vabit te indubiè, si perseverātiâ san-ctâ, coronetur tua vocatio. Similia igitur de tua vocatione, qui majora nescis dicere, DEO loquere, *Omnia bona* supernaturalia, cum gratia vocationis mihi pariter venerunt, & ex eminentia vocationis supra creationem, agnosce coram DEO, te majoris gratitudinis debitorem esse pro beneficio vocationis, quàm pro beneficio creationis.

13. Fulminabat olim D. Augustinus in eos, qui ingrati vivebant Redemptori, dum dicebat; *Qui non amat DEVM Creatorem, dignus inferno: qui non amat Redemptorem, dignus cui novus horribilior creetur infernus*: idq; ex eo, quia secundum præstantius est beneficiū primo. consequenter majus peccatū ingratitudinis, pro secūdo. Vide ergo ne si fortè DEO, qui te vocavit, ingratus vivis, â pari sic fulmineris, *Qui non amat DEVM creantem, dignus inferno. Qui non amat DEVM vocantem, dignus novo horribiliori*

14.

infer-

inferno. quia hoc 2dum eminentius est beneficium quã 1mum. Omnimodis igitur allabora, ut pro tanto religiosæ vocationis beneficio, plenâ ex omni parte correspondeas gratitudine DEO. Porro ut possis, colloquium institue ad DEUM Hominem JESUM; qui te elegit ad suæ conformitatem vitæ.

Propositum practicum. Debita vocationis æstimatio.

Tessera hodierna sit. Sancti estote. *Levitici* 11.

vel hæc. Tantum interesse debet inter Sacerdotem, (qui necdum es Sacerdos, lege religiosum) & quẽlibet probum virum, quantum inter cœlum & terram discriminis est. *Isidorus Pelusiota lib. 20. ep. 205.*

vel hæc. Certemus in agone justitiæ: DEO & Christo spectante curramus, qui sæculo & mundo majores esse cœpimus. *Beda serm: 18. de SS.*

Expenso fundamento vitæ religiosæ, necesse est videre finẽ Religiosis communem.

DU-

DVPLEX BREVE SANCTITATIS:

Impellens eos, qui vivunt in Religionibus ad perfectionē.

SEU MEDITATIO

De fine Religiosis communi.

1. OLim adhuc in sæculo legis, populū electum DEVS voluit esse sanctum: tantò magis Levitas, maximè Nazaræos. 2dò. In sæculo autem gratiæ à suis electis plura exigit, ut continuo eant de virtute in virtutem. 3tiò. Et fructum suo palato gratum durabilemq; afferant.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Sub oculo Sancti Patris, accipe de ore JESV, illud Levitici Breve Sanctitatis, omnibus Religiosis commune; *Sancti estote, quia ego Sanctus sum.* Levit. 11.

Præludio II. Petatur efficax gratiæ auxilium, ad Breve acceptum, fructuosè expendendum.

Puncto I. Expende, quia DEVS

1. non tantùm illis, qui in Levitarum adsciti erant numerum, sed univer-

fo

ſo Iſraëli, univerſo illi populo, quē ſegregaverat à gentibus, ſibiq; adlegerat, hoc Breve Sanctitatis exigitivum dedit, dum ait: *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.* Quod Breve ſi populum DEI vniverſum, certè magis Levitas, ad obſequia DEI ſpecialiùs deputatos; maximè obligabat Nazaræos, qui Sancti DEO vocabantur, & eſſe debebant, ne nomen inane rei haberent. Sic DEVS quos pro ſuis habet, vult eſſe Sanctos. Fidele ſæculum, Religioſos vocat *Gentem Sanctam*, vocat Genus electum. Vnicuiq; Religioſo, illud quod de ſe dicebat Apoſtolus, ſuo modo competit agnomē, *Segregatus in Evangelium DEI.* quia è populo fideli eliguntur à DEO, ſegreganturq; ad pleniorem, exactiorem, Sanctioremq; Evangelicæ doctrinæ, etiam quoad conſilia, obſervationem: omnino igitur incumbit neceſſitas Religioſis, ut Sancti eſſe velint, & ſint, quia Dominus 3,

eorum, qui eos elegit ſegregavitꝗ
4. ab aliis, Sanctus eſt. Adde, qui-
cunꝗ hoc ſæculo gratiæ, in religio-
nes ad obſequia DEI evocamur &
convolamus: debemus DEO noſtro,
debemus Chriſto noſtro vivere, San-
ctiores, quàm vixerint olim perfe-
ctiſſimi quiꝗ Nazaræi in lege ſcri-
pta. quia olim necdum erat DEVS
Homo factus: in noſtro autem ſæ-
culo jam fuit; & exactiſſimi exem-
pli, Sanctiſſimam vitam ſuam, nobis
reliquit in ideam. Jam emundavit
Sangvine ſuo vniverſum; emenda-
vitꝗ in eo vitiata. jam inſtituit Sa-
cramenta, ex opere operato gratiã
& ſanctitatem producentia. jam no-
bis in ſæculo gratiæ viventibus, Sa-
cramentorum vſus eſt, qui in lege
ſcripta non fuit, niſi in figuris. No-
bis eſt, eritꝗ uſꝗ ad conſummatio-
nem ſæculi in Euchariſtia DEVS
Homo: quantum in eo eſt, paratiſ-
ſimus ſanctitatem in nobis cauſare,
augere, conſervare, confirmare;
ipſum

ipſum etiam cor in nobis confirmās. Sanctiores igitur attinemur eſſe nunc Religioſi, quàm olim fuerint etiam Nazaræi. Noſtras conveniamus ſinguli animas, & attenta cordis au- 5.
re audiamus, quid nobis atteſtetur conſcientia noſtra, an ſanctiores Samuele v.g. Sancto, & aliis, ejus ſimilibus, vivimus; qui eminentiorem ab illis, DEO Homini JESV, debemus ſanctitatem, monenti, *Sancti eſtote, quia ego Sanctus ſum.*

Puncto II. Aliud Breve evangelicum, de eadem ſanctitate, quod olim Chriſtus primis religioſis, ſuis diſcipulis dedit, accipe, tibiq; dictū 6.
puta. *Ego elegi vos ut eatis* &c. & expende, *Ego elegi vos* ait Chriſtus religioſis: ut non qualem qualem, ſed ſanctiorem aliis, hoc eſt electorum vitam agant, qui ab eo electi ſunt ad ſuæ vitæ ſanctiſſimæ imitationem. *Elegi vos ut eatis.* electi ſu- 7.
mus, qui ſub nomine religioſorum vivimus, ut Chriſtum pro via habē-

do, secundùm veritatem doctrinæ illius, non interruptâ ad perfectionem tendentiâ, continuò eamus. Eamus *in sanctitate & justitia coram*
8. *ipso, providendo semper in conspectu nostro*, ne vel *ad dextram nimium*, *vel ad sinistram à sanctitate & justitia deflectamus*. ut eamus non in solo tirocinio, ubi ut plurimum fervor primus
9. urget ad progrediendum in via DEI; sed eamus *omnibus diebus vitæ nostræ in sanctitate & justitia*, passum faciendo de virtute in virtutem, non aliàs; donec virtutum gradibus illuc adscendamus, vbi videatur DEVS Deorum in Sion. Te & tuam cum illis quos hactenus vixisti annis, circumspice vitam: omniane hæc, quæ Breve Christi exigit, sunt ad hanc amussim impleta; cura ut ex hinc saltem impleantur.

Puncto III. Reliquum, spectans ad finem Religiosis omnibus com-
10. munem, accipe expendendum, de Brevi evangelico. *Elegi vos ut eatis, & fru-*

& fructum afferatis, & fructus vester maneat: hoc suis olim discipulis Christus; & in illis, hoc religiosis pro fine communi JESVS ipse edixit; qui maturos uvarum fructus, immo botros uvarum plenos, de virtutibus collectos, à nobis exspectat.
11. Vbi adverte quòd non virorem, non folia revirescentiæ succedentia, non florem de baccis erumpentem, non fructum citiùs quàm speres desiturũ, sed fructum durabilem de vinea religionum exspectat à Religiosis DEVS Homo JESVS; cui collectivè sumpti Religiosi, sunt *populus acquisitionis*. hæc in compendio. Si libet licet liberiori tempore subsequẽtia relegere. Ecclesia DEI *Vinea est* 12.
Domini Sabbaoth, certum id fidelibus. Vna quæq; religio, nulli enim quidquam detractum volo, est *Vinea Domini Sabbaoth electa*: de qua illud Isaiæ è vero dicere possis, *Plantavit* c. 5. v. 3
eam electam. firmavit prophetiam, succedens evangelii veritas, à Chri-
 sto

ſto de Religioſis, de primis diſcipulis prolata, *Ego elegi vos.* velis tuam pernoſſe felicitatem bone religiose, quia non tantùm in vinea, ſed in vinea Domini electa, es, dum in religione vivis.
13. In ſingulis religionibus, quæ cœlo veniunt ſub nomine vineæ electæ, Chriſtus vitis eſt. (Non derogo id commune fidelibus, quod tribuo ſpecialiùs religioſis) ſinguli religioſi, palmites ſunt: qui ſi manent, & manere volunt in vite Chriſto, fructum exſpectatum Chriſto, non virorem, non ſolum florem afferre debent. Sint ſanè ſæculi principes, (non ajo principes mundi, hic enim Sathanæ titulus eſt) qui ſuis in vineis contenti virore, aut flore; non pauca habeant, quæ ad ſola oculorum lenocinia vireant, dilatentur in folia, nec vltra progrediantur. Habeant alia, quæ virorẽ in flore terminent: alia quæ florem includant præcoquis, non tamen durabilibus, fructibus.

Rex

Rex Regum, Dominantiumq́ Dominus 15.
noster DEVS Homo IESVS, in suis vineis, in religionibus, non solam revirescentiam in bonis desideriis; nec post virorem contentus habere folia verborum Sancti desiderii explicativa; nec satis habet inchoatæ virtutis videre florem; sed fructum virtutis, ejusq́ solidæ, tanquam fructum uvæ maturæ, de singulis exspectat religiosis, tanquam de suis sibi viti insertis palmitibus. Expende hæc, ac vt expendas subsiste tantisper. Bone religiose, palmes 16.
inserte Christo, tuæ viti; exspectavit de te superoptimus JESVS uvam, quid si tulisti labruscam? putas non elusisti exspectationem DEI Hominis JESV?

Uvam tulisti maturam sed præco- 17.
quam, initio tuæ conversionis? demulcent quidem svaviter palatum hominis, si maturescunt præcoqui fructus, at diu durare non possunt. Christus, non fastidit primæ ætatis

religiosæ bona, bene acta: at plus exigit. vult enim fructum non tantùm maturum & præcoqvum, verùm etiam durabilem, dum ait *fructus vester maneat.*

18. Intulisti durabilem virtutis alicujus, maturamq́ uvam: putasne tuo jam satis factum religioso fini, & palato JESV? non uvam; sed botros uvarum maturos, plenos, durabiles, à te Religiose, tanquam à suo palmite electo, in religione, in vinea electa, exspectat JESVS.

19 Omnes vnius solidæ virtutis consecutus es gradus? botrum habes vnum. porro ad tuam à fideli populo differentiā, plures à te diversarum virtutum solidarum, exspectabat vineæ Dominus, exspectabat JESVS! quando tandem exspectationi ejus per te fiet satis!

20. Nullus botrus, vnâ solitariâ constat uvâ, sed pluribus addensatur. quælibet virtus habet suos gradus, quos adscendas. Vnus palmes, ut plurimùm non vnum offert suo Patri familias

milijs botrum. Vineam interim 21.
cogita religionem, religiosos autem palmites. Quàm miser ille religiosus est, qui vnâ contentus virtute, aliarum incurius! Certè miserior palmite materiali vinearum simplicium. Quid si pro maturis uvarũ 22.
botris, palatum DEI tui, JESU tui, meris exasperas labruscis? Time, ne te quem voluit habere pro vinea electa, ponat tanquam *vineam desertam, & mandet nubibus, ne pluant super te imbrem* gratiarum DEI, & justo ejus judicio, *vepres nonnisi & spinæ ascendant & operiant te*, vt comminatur per Prophetam. Vt enimverò sis JESV *germen delectabile*, statue statuenda.

Colloquium ad JESVM, qui te suam voluit vineam esse electam, institue; ut vitam electorum vivendo, continuò in virtutũ fructus germines.

Propositum practicum. Continuuo in spiritu profectus.

Si placet matutinam vatiare tesseram, vſurpa identidem hanc. Religioſus eſt, cui corpus caſtificatum. os expiatum. animus ſemper divino lumine irradiatus. *Ioan:Clim:gr.1.*

HORA REFLEXIONIS
Expendet motiva ad examen particulare, in ſanctitate, promovens, ſeriò conſtanterq; tenendum.

COgita. Si te in quopiam perfectionis conſequendæ exercitio, ipſa Diviniſſima DEIpara Materno-
1. Virgineo Magiſterio ſemel erudiret in ſemper, numquid illud exercitiũ, vel ſemel omittere auderes? *Negligere examen particulare viventibus in Societate IESV, eſt faſtidire magiſterium Marianum.*

Examen enim particulare de Ma-
2. giſterio Diviniſſimæ Deiparæ condidicit S. Pater noſter. quod erat quidem, ante ejus tempora, in vſu Sanctis; ſed S. Pater pro tunc initio

ſuæ

suæ conversionis, homo literarũ rudis, cælico instituebatur in via sanctitatis magisterio, DEI, JESV, MARIÆ. Ipsa Divinissima MARIA Sanctum Patrem; & in eo singulos nostrùm, quoad exercitium examinis particularis, tanquam specialius aliis medium consectandæ perfectionis erudiit, & eruditos esse voluit ad continuum sui vsum. Lege Historiam Societatis, & vitam S. Patris. Successit feliciter pientissimum DEIparæ MARIÆ magisterium in Sancto Patre: cur non succedet in te, si nolis degener vivere à Sancto Patre filius?

Videbat illo, quo vivebat sæculo, 3.
P. Martinus Guttierez totam quantam Societatem, integi, protegiq; pallio Divinissimæ DEIparæ Virginis MARIÆ. Conjicere hinc potes, quia tunc singuli in Societate viventes, erant non tantùm DEI, verùm etiam Divinissimæ DEIparæ Virginis docibiles; de ejus magi-

ſterio examen particulare perpetim
vſurpantes, & ſic in ſanctitate ac
juſtitia coram IESV eius filio, pro-
4. ficientes. Similis noſtro ævo ſi
contingeret viſio, fortè eos ſub pal-
lium non receptaret Virgineo-Ma-
ternum Diviniſſima DEIpara, qui
particulare negligendo examen;
Maternum eius, S. Patri noſtro da-
tum, in neglectu habent magiſteriũ.
Vide num de ſub hoc pallio exula-
5. re velis? Sanctus Romualdus
pro ſuis Camaldulenſibus; pro ſuis
item D. Bernardus in ſpiritu filiis,
vidit ſubrectam in cœlos ad aſcen-
ſum ſcalam. D. Aſſiſias Franciſcus
itidem pro ſuis, ſed jam binas, ha-
buit revelatas ſcalas. [illegible]m ſubru-
bentem, aſcenſu difficiliorem: quæ
per cruces, & mortificationes, aſcen-
ſum oſtenderet neceſſarium. alte-
ram aſcenſui faciliorem, totam can-
didam, teneriore devotione in Bea-
tiſſimam, conſignatam. Vide ſi
lubet Hiſtoriam illius religionis.
Nihil

Nihil ſimile Sancto Patri noſtro revelatum habemus.

Ex ambis in Societate viventibus, ſimiles habere videreq; ad cœli aſcenſum ſcalas? jam in parato habes, & quidem prænobiles, quia de magiſterio Mariano Tibi à S. Patre relictas. Suis cum lineolis examen particulare, tam vitiis extirpandis, quàm virtutibus inſerendis, duplex tibi eſt vſq; in cœlos pertingens ſcala: De ima audi S. Auguſtinũ ſerm. 176 prope finem ſic loquentem: *De vitiis noſtris ſcalam nobis in cælos facimus, ſi vitia ipſa calcamus.* Audin? examine particulari, extirpa; extirpata calca vitia, nec permitte recreſcere; ſcalas in cœlum, poſt aſcendentem Chriſtum, de quo ibi Sanctus Doctor agit, habes; & quidem ſcalam rubicundam, quia vix non ad ſangvinem quandoq; continget reſiſtere vitiis, præcipuè habitu firmatis. Habes & aliam candidam ſub cœlos erectam ſcalam, ſi de virtuti- 6.

bus animo inferendis usurpas examen particulare; constanti tuo in eis profectu. En scalæ duplices Soc: JESV in cœlos, has ne omitte.

7. Sanctus Pater noster, libellum examinis particularis secum habuit sub pulvillo, mortuali jam depositus lecto: vnde nec ægrescens, illud facere omittebat. immo ipso mortis die illud fecisse, ac in libello consignâsse scribitur, complens vltimum scalæ Societatis de magisterio Mariano, in cœlos gradum. Vide an non degener S. Patri vivit ille filius, qui sanus particulare negligit examen. Vide quem in via perfectionis, via cœli, via DEI ille facit gradum in Societate JESV, qui hoc examen omittit.

Marina de Escobar visionibus celebratissima; nostrorũ exequiis de-
8. functorum solita interesse, pluries S. Patrem nostrũ, á cornu altaris Evangelii, vidit non vni è nostris mortuo benedicentem, à longe producto si-

gno

gno crucis, ſupra cadaver in ſepulchrum demitti ſolitum. Si cœli ſcalas, de Mariano magiſterio, Societati præſcriptas à Sancto Patre; ſi examen particulare omittis, putasne in tuis exequiis, in tuo deſcenſu ad ſepulchrum, tibi S. Pater benedicet, ut ſuâ benedictione Paternâ de ſpeciali privilegio DEI, JESV, reliquias pœnarum purgatorii aboleat? time ne incurios in hoc examine, relinquat purgatorio expiandos de his, quæ aliàs abolevifſet benedictione ſuâ. Vide nunquam negligas 9.
particulare examen, etiam jam jam moriturus. Vt autem id exactè fiat, plenâ reflexione relege illa, quæ de Magiſterio Diviniſſimæ DEI-Paræ Virginis MARIÆ examini particulari faciendo in ſuis exercitiis præſcripſit Sanctus Pater JGNATIUS: & relecta, in continuam, perpetuandamq; aſſume praxim: ut in omniũ oculis vivas homo Societatis ad amuſſim inſtituti Soc: JESV formatus.

Vis tesseram quæ te ad hoc examen invitet, assume hanc, supra quã te frequentius reflecte. Mens incircumspecta. (supple per examen particulare) latere non valet. *Divus Laur. Iustin. de casto connubio c.21.col.6*

PLURES IN VNVM Minimæ Societati JESU Compendiati Fines,

SEU MEDITATIO *De Fine Societatis I E S V.*

I. VIde quid sit hæc Societas in quam te vocavit DEVS. 2do. Et finem tuum ex pluribus complexum expende. non tantùm tuæ saluti, quod omnes : non tantùm tuæ perfectioni ; quod religiosi : non tantùm proximorum saluti , quod curati Sacerdotes. 3tio. Sed saluti simul & perfectioni, & tuæ & proximorum, totâ omnium talentorum impensâ subservire debes. Hic finis est in minima Societate JESV viventium.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare quod JESUS optimus videns inventum apud te pretium vocationis in Societatē suam

am, quâ te ſuis annumeravit electis, juxta illud *Ego elegi vos*; jubet ut S. Patrem attentus reflexusq; audias, 2dam ex Summario de fine Societatis regulam, tibi declarantem.

Præludio II. Paratum te ad declarationem finis, aure cordis audiendã S. Patri exhibe: & gratiæ DEI auxiliũ declarationi intelligendæ, pete.

Finis hujus Societatis eſt &c.

Puncto I. Antequam ad finem Societatis, ſublimatum aſcendes, expende hæc verba: *Hujus Societatis* finis eſt. 1mo. *Hujus Societatis*, quæ minima, Maximo; quia non humano ſed ipſius JESV, conſignata Nomine; *à quo non eſt aliud ſub Sole nomen, in quo nos oporteat ſalvos fieri.* expende felicitatem tuam, ex propiori præ alijs ſpe ſalutis tuæ. 2do. Hujus Societatis, quæ debet eſſe eximia JESU ipſius imitatrix, ne inane rei, nomen JESU vſurpet; illudq; audiat improperium: *Nomen inane, crimen immane.* 3tio. Hujus Societatis, quæ

1.

D. Ambroſiùs. 2.

quæ electa eſt ad hoc, vt *nomen IESV, portet coram gentibus & Regibus.* 4to. Hujus Societatis, in qua ſinguli, tanquam redivivi debent eſſe Apoſtoli Pauli, huic nomini Sanctiſſimo portando & dignè ſufferendo idonei. 5. *Hujus Societatis* in qua vnusquisque debet eſſe tanquam *vas electionis*; ſub hoc enim titulo Sanctus Paulus *nomen IESV portabat coram gentibus & Regibus.* Vide num ille ſis, quem deſcriptum legis.

3. 6to. *Huius Societatis, quæ militare debet militiam bonam*, pro JESV, DEO, ejusque nomine, ſub hac teſſera: *Ad Majorem DEI Gloriam*: non ſuo, ſed JESV, & DEI nomini, gloriam quærendo. Recollige te, vbi & quantum auxiſti accidentalem JESV, DEI,
4. gloriam? 7mo. *Huius Societatis* militantis finis eſt, quæ eadem eſt ſpecie cum triumphante Societate, ex fine præſtituto impleto, jam coronata cœli gloriâ. 8vo. *Huius Societatis*, in quam attento proſpectat

oculo,

oculo, tota Societas triumphans; an suis insistatur vestigiis; an de militante verè possit dici: *Pro Patribus nati sunt filii* non degeneres à præcelsis Sanctorum cogitationibus. vide an propter te non sit opus triumphanti Societati, de militante iam dilatata conqveri coram DEO: *Multiplicasti gentem, sed non magnificâsti lætitiam!* 9no. Finis *hujus Societatis*, quæ collectivè sumpta, singulis in minima Societate viventibus, constituitur tanquam suis constitutivis. Vide ne monstrosum sis constitutivum, tam Sancti, tam pulchri in oculis DEI, religiosi corporis. 5.

10. *Huius Societatis*, quæ licèt etiam discolis quandoque constet, non solùm Sanctis; tamen à potiori dicitur Sancta. Sicut Ecclesia DEI, etiam peccatores in sui collectione includens, dicitur Sancta. Sed quemadmodum in Ecclesia DEI, nolentibus resipiscere finaliter peccatoribus, væ damnationis. sic in Socie- 6.

tate incorrigibiliter discolis, ni corrigantur, Væ emissionis. 11. *Hu-*
7. *ius Societatis*, super quam in suo nomine vigil JESVS stans, *ventilabrum in manu habet*, vt eos qui palea esse volunt, non grana, tandem eventilet. Te vide, qui vivis in Societate minima JESV. Vide vt te huic Societati, secundùm meliora lineamenta descriptæ, conformes.

8. *Puncto II.* Jam è pluribus aliquos in vnum Societatis finem collectos lege Summarii 2da, vide in parte. *Finis huius Societatis est, non solùm saluti* en finis vltimatus communis omnibus omnino hominibus, præcipuè fidelibus: (*& perfectioni animarum propriarum*) en tibi finis immediatus, cum omnibus religionibus communis, indispensabiliter ad salutem necessarius *cum gratia DEI vacare*. Et hîc, vbi jam Societati JESV adlectus es, tuam ante omnia salutem curare debes, quod & ipse Christus suis Apostolis intimavit illis

ver-

bis: *Quid prodest homini, si mundum vniversum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Vbi vides mundum in lucra Apostolis exposuit Bonus JESVS; sed primam vnicuiq; animæ suæ commendavit curam.

Cogitandũ. JESV vestigiis insistere volens cum minima Societate S. Pater, Sancto Xaverio in Apostolatum Indiarum cælitus destinato, à Sede Apostolica ordinato, eadem JESV verba singulis diebus attento revolvenda animo commendavit: *Quid prodest homini &c.* Sanctus Xaverius quotidie mediam horam impendebat prædictis verbis meditandis. Tanta illi ex imperio JESV, & S. Patris intimatione fuit cura suæ salutis! Estne similis in nobis? habentne singuli dies aliquod momentum, de illa solicitudine salutis nostræ, in quo sibi DEVS JESVS complaceat? 9.

Religiosi in minima Societate vivimus etiam ante Gradum: ex communi omnibus religiosis obligatio- 10.

ne, attinemur sub gravi, tendere ad perfectionem propriam, religio enim est perpetua ad perfectionem tendentia. Satis fuerit vulgo fideli salutem quærere. Religiosis in vniversum omnibus & singulis, omnino necesse est quærere animæ suæ perfectionem. & hoc est quod S. Pater in compendio dixit de hac obligatione communi: *Et perfectioni animarum propriarum.*

II. *Cum Divina Gratia*, Utrumq; hunc finem, tam omnibus omnino hominibus vltimatum communem, quàm Religiosis immediatum, curare debemus, qui in Societate vivimus. Quia sine gratia DEI, nec salus habetur, nec perfectio statui debita acquiritur, omnia enim in peccato graviori facta opera, sunt & dicuntur mortua, nec augent gradus perfectionis ad salutem necessariæ.

Curanturne augmenta gratiæ DEI? vt sic robustiores evadamus augendæ perfectioni nostræ, & certiùs asserendæ saluti?

Resi-

Residuum eſt, quod hic expendatur, Ly *vacare*. hoc eſt ſaluti & per- 12.
fectioni animarum propriarum, citrà omne tædium, cum omnimodo guſtu, cum omni poſſibili oblectatione animi, debemus vacare; nunquã in his, vel pauſam, vel finem optando, ſicut guſtabiliter, delectabiliter vacare ſolemus, feriatis à labore diebus.

Puncto III. Vide iam reliqua Finis in Societate viventium conſum- 13.
mativa: *Sed cum eadem*, ſupple ex præjactis, *gratia Divina, impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.* Expende verbum. *Impensè.* impensâ Scientiæ, tam ſacræ, quàm profanæ, magno ſtudio vtriuſq; conquiſitæ. Impensâ laboris abun- 14.
dantioris, juxta illud Apoſtoli: *In laboribus abundantiùs.* Impensâ laboris continuati vſq; ad defatigationem, ad ſudorem, ſi opus eſt & ad ſangvinem. Impensâ Sanctarum ad lucra in animas induſtriarum. Impensâ

pensâ famæ ipsius, citra tuum & proximi peccatum, etiam *ad infamiam*. Lusitania homines Societatis JESV, nomine Apostolorum dignatur: Apostolicum autem est *ut in omnibus exhibeamus nos, sicut DEI IESV ministros, per infamiam & bonam famam.* quemadmodum S. præscribit Apostolus 2. *Cor.* 6. Impensâ ipsius etiam vitæ, si hæc non tantùm in salutem, verùm etiam in perfectionem proximi fuerit necessaria. Domestica recole exempla, similis impensæ, omnium talentorum, exhibita *in salutem & perfectionem proximorum.* Et vide, quam secundum finem tibi præscriptum, vi tui instituti impensam hactenus feceris in proximos; & quam tenearis velisq; pro tuo statu & officio, facere; statueque nunc firmiter, quod postea exequaris. *In salutem & perfectionem proximorum incumbere.* Habet

15. Ecclesia DEI Sacerdotes, qui vocātur *Curati*; quia illis vi beneficii ad

ordi-

ordinem collati, incumbit curare salutem animarum, finibus parœciæ circumscriptam, & sibi commissam. Societas minima obligationem curatorum justitialem vi sui Instituti non admittit, sed pro zelo animarũ, 16.
ex charitate in DEUM & proximũ, omnes & singulos in Societate viventes, ad finem hunc commonet, ut non tantùm in salutem, sicut curati Sacerdotes; verùm etiam in perfectionem non vnius parœciæ, nec tantùm fidelium; sed in omnium omnino hominum, quia omnes & singuli homines nomine proximi veniunt, incumbant. Jam vide, qui tuus inter cætera sit finis; *Parare scilicet DEO salvandam perfectam plebem?* sublimis omnino finis, at per prius tuæ perfectionis indigus.

17. Rectè conclusit Philosophia: *Simile non agit in simile*; quia assensu omnium Theoricorum; *Actio fit ab excessu*; si plebs jam habet id perfectionis, quam haber ille, qui vult

incum-

incumbere in ejus perfectionem, facit nihil, quia plebeja perfectio non perficit ſic Religioſum, ut cum ſua plebeja perfectione plebem DEI perficiat. Abecedarius ſimilem ſibi abecedarium non promovet ultra in profectu literario. Religioſus, quem ſuum inſtitutum obligat ad parandam DEO plebem perfectam, ſi id emereatur improperii: *Sicut populus ſic Sacerdos*; ſicut plebs, ſic religioſus; quomodo perficiet, quomodo *parabit plebem DEO perfectam*? Vide quanta obligatio ſit in Societate viventibus, ad perfectionem conquirendam, exceſſivam perfectionis populi DEI: habeturne?

18. Expende vltra. Per operam Societatis, ad juſtitiam eruditæ DEO animæ, hoc exigere videntur à nobis, vi noſtri Inſtituti, ut ſub oculũ DEI venientes, in primo aditu æternitatis, habeant pro characteriſtica, majorem ab aliis animabus perfectionem; cum S. Pater divinitus in-

forma-

formatus, hoc pro fine in Societate viventibus præſcripſerit: *Impensè in ſalutem & perfectionem proximorum incumbere.* Non quali quali curâ, nec levi brachio; ſed toto niſu, & & totâ, de qua ſupra, impensâ, incumbere in ſalutem & perfectionē proximorum, noſtrum eſt. *Omnibus debitores vivimus, ſapientibus & inſipientibus*, rudibus & politis, refractariis Eccleſiæ DEI, & morigeris; omni ætati, vtriq; ſexui, omni hominũ generi. Prima adoleſcentũm
ætas in Scholis habet cathedras ſan- 19
ctæ eruditionis; in templis omnis ætas, habet cathedras, alias vni conſcientiæ loquentes; alias exedras, auribus & cordi, contra vitia detonantes: pro virtutibus facundè perorantes: omnium finis, & cathedrarum, & converſationum: ad xenodochia & carceres & infideles, extentus finis, ſalus & perfectio proximi.
Tua jam vide quæ obivi- 20.
ſti officia: Diſcipuli debebant eſſe

in virtute perfectiores, in Scholis Societatis eruditi; sic pænitentes, sic concionem audientes; sic nobiscum conversantes; sic consilia nostra requirentes, sic moribundi in viam æternitatis dispositi. Vide si secundùm hæc officia obita, perfectiores animæ, instrumentali tuâ operâ in oculis DEI comparuerint & compareant? Erubesce, si fortè
21. hactenus nec tuæ perfectionis impẽsam collegisti tantam, quantâ parares DEO plebem perfectam. Conquisitam DEI gratiâ habes impensam tuæ perfectionis, dole si conquisitâ, in salutem & perfectionem proximorum, vix aliquid egisti, nunquam autem, vt par est, in eandem incubuisti. Confundere quòd in
22. illis, qui secundùm institutionem tuam vivunt in variis statibus, non solùm DEI, qui totus oculus est, verùm etiam oculi hominum, videant multa imperfecta, ad improperium Societatis minimæ.

Com-

Compatere illis defunctorum animabus, quæ inter cætera, etiam propter tuam non satis perfectam ex amussi Societatis dispositionem, pænas purgatorii luunt. 23.

Deprecare, Societatis minimæ, maximi in eam affectûs Matrem Divinissimam DEI-Param Virginem. 24.
deprecare Sanctum evisceratæ in suos charitatis Patrem, quòd fini tuo, ex ejus, aut potiùs è JESV instituto, satis clarè descripto, non adæquatè satisfeceris in tuis tot officiis. Meliora, quoad singula Societatis minimæ exhinc obeunda officia, pollicere; firmis propositis statue. omni conatu exequere. Ut enimvero possis.

Colloquium Institue supplex ad JESVM, qui te ad tam sublimem, Apostolicum, evocavit è sæculo finem, ut donet suæ gratiæ efficacia auxilia, quibus adæquatè cooperando in singulis tuis officiis, non tantùm tuam propriam, verùm etiam

proximorum salutem & perfectionē pro lucro olim inferas in bonam æternitatem.

Et non adspirabis hic millies & millies DEO, qui te in Societatem Filii sui vocavit, in eaq; conservat.

Benedictus DEVS; qui nos vocavit in Societatem Filii sui!

Propositum practicum. Quoad singula tua officia, sub DEO, finem Societatis in oculis habe.

VENIALIA
Via ruinæ,
SEU MEDITATIO
De venialibus peccatis.

1. MOrtale peccatum ruina est: veniale, via ad hanc ruinam. 2do Quia sicut judicio Doctoris Angelici, ægritudo ad mortem; sic veniale disponit hominem ad mortale. 3tio Et sicut puer à viro, ita cæteris paribus differt veniale à mortali, allide igitur & elide hos parvulos, intellige venialia, *adpetram*.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Audi Sanctum Patrem, tuæ cautelæ, ne in religioso impediaris

diaris fine, loquentem hæc Ecclesiastici verba: *In via ruinæ non eas.* Eccles. 32. v. 2.

Præludium II. Consveta petitio gratiæ.

Puncto I. Adverte hoc. quia sicut religioso, vi sui statûs incumbit vias 1.
mandatorum currere, non in devia excurrere; & semitas consiliorum prudenter, nec ad dexteram nec ad sinistram deflectendo incedere; sic omnino necessum est à via ruinæ sibi cavere, & ab illis quæ se possint proruere in itu suo. hoc vult Christus qui dixit *Elegi vos ut eatis.*

Jam cogita quòd nemo vnus dubitat mortalia esse ipsam ruinam & 2.
perditionem. Venialia autem viã esse ruinæ, sic expende. Qui pro via eligit lubricum, vel suis non satis firmus viribus, eo loci eligit stare, vbi obnoxius sit impulsui in suã ruinam per aliquem robore fortiorem faciendo; indubiè ille suam elegit, si non ruinam, saltem ruinæ viam in illo impulsu. Jam vide, nimiũ 3.

quantum fortis est ille, qui totum quantum circumvolat vniversum, nec religiosas omittendo communitates, quærens quem, si non devoret, saltem impellat in ruinam suæ devorationi proximam, leo inferni, vel sathanas. Qui in venialibus
4. amat esse continuus peccatis, locum lubricum, & sathanæ accessibilem eligit. quia venialia ut ait S. Thomas Aquinas, imminuunt fervorem charitatis, quem solum ille timet, qui quærit, quem devoret.

In collationibus Patrum, vnus è
5. Senecionibus ajebat, quod verum est; *Sicut muscæ odoriferis impletam ferventem ollam circumvolant, nec audent attingere; tepentem autem turmatim obsident & defædant: sic eos, qui bonus odor Christi esse volunt, ac in spiritu fervent; maligni spiritus, quantumvis circumcursent, non audent attingere; sed ubi de venialibus aliquis tepere advertitur, mox ille veterator qui formas se mutat in omnes, advolat ad tepen-*

tem

tem tanquam musca, & postea sicut leo, de venialibus in graviora protrudit. En qui venialiter amat peccare, non tuto stat loco, obnoxius impulsui in ruinam, nec sibi satis firmus. quod brevibus expende. Fortitudo nostra DEUS est, & auxilia gratiæ ejus, continuisq; incrementis aucta gratia de fervore charitatis in anima. Gratia certè non augetur, (expende) per venialia, sed quoad sua augmẽta, impeditur. DEVS in venialibus audaci, & tentato, auxilia extraordinaria, non merenti, non elargitur. tentator ergo, dum adest & impellit, quid nisi ruinam exspectas, qui amas venialia. serò lugebis, *Impulsus eversus sum ut caderem!* en venialia, via sunt ruinæ, vel ad ruinã, si non vitas ne per illa intepescas.

Pulchrum est, toto Christiano celebratum orbe, illud S. Casimiri Poloniarum Principis dictum, *Malo mori quàm fœdari.* an non pulchrũ erit, singulis religiosis, præcipuè in Soci-

ętate JESV viventibus, illud quod olim Joannes Gilbertus in Collegio Rom: 1639 moriturus sæpiùs iterabat, *Malo mori, quàm tepidus fieri*. adde, quia tepor inducit venialia.

Puncto II. Expende quod & omni-
6. bus certum, & te judice approbatũ, quia mortalia peccata in se sumpta, non via ruinæ aut perditionis, sed ipsa sunt ruina & perditio: necesse ergo ut certum tibi sit de doctrina Ecclesiæ accepta, venialia viam esse ad ruinam & perditionem.

Signanter Doctor Angelicus ha-
7. bet 1ma 2dæ. q. 12. articulo 5. hæc. *Sicut ægritudo ad mortem; sic veniale disponit ad mortale.* ægritudo, via ad sepulchrum: veniale, via ad mortale, via ad perditionem, via ad infernum. Viden? quia via ad mortale peccatum, via non tantùm ad ruinã, sed ad perditionem est animæ.

Tuam consule animam. vtiq; non
8. solam horres mortem, verùm etiam ab ægritudine tibi times. oro te

cur

cur solum nonnisi horres mortale, & non horres veniale peccatum, horrore saltem proportionato? Vix efficaciter aut sincerè timet sibi à mortali peccato homo, si non timet à veniali: sicut non efficaciter ille timet mortẽ, qui ægritudinem non timet, aut ad sua initia eam non depellit. Quis in hominibus vltro quærat, aut quod maius est exambiat ægritudinem? 9.
quis in suis infirmitatibus ordinariè & naturaliter oblectetur? cur & vnde hanc felicitatem apud hominem habent venialia: quæ sunt notabilis ægritudo animæ, eamq; disponunt ad mortem æternam, disponendo ad mortalia, ut in venialibus vitiosum homo gustum habeat & illis oblectetur!

Quisquis es, qui venialia amas, næ tu vis ægram animam sano contentus corpore, plusq; das ancillæ carni, quàm Dominæ, quæ anima est in carne; & vix sanam sic habes mentem, dum non discernis dignius 10.

à viliori. nec times, ne contra te Divus Bernardus agat dicatq́ȝ. *Quæ*
11. *discretio est totam curam impendere corpori, nihil animæ?* vide, majori secundùm DEUM discretione exhinc vivas, viam ruinæ non eas, vites venialia, tanquam certam dispositionẽ ad mortalia peccata, cũ D. Thomas Aquinas dicat, sicut accidens potest esse, & est dispositio ad formam substantialem, ita & peccatum veniale ad mortale. philosophare sub magistra conscientia, sicut vis & quantũ vis potesq́ȝ; veritatem dicti Theologici conclusam à Sancto Aquinate comperies.

Puncto III. Accipe illa quæ S. Do-
12. ctor Angelicus addit de peccato veniali. *Sicut differt imperfectum à perfecto, & puer à viro, ita differt veniale à mortali.* attinge obiter. veniale imperfectum dici, per ordinem ad mortale. infelix imperfectio est, veniale, conductiva ad illud infelicissimum perfectum, quod est mortale. damna-

damnationis perfectivum. jam ulteteriora lenius cogita. *Idem homo est vir, qui autè fuit puer.* cæteris paribus, quod hic & nunc est veniale, si foret in aliis circumstantiis posset esse mortale. Qui puer est, dum per nutritionem augmentatur, sensim sine suo sensu crescit, 13.
judicio & liberi arbitrii vsu maturescit, & in annis succedentibus tandem è puero evadit in adultum virum: id omnibus probat vna omnium experientia. Quod hic & nunc est veniale, vel ex aliqua subreptione, prævertente reflexionem; vel ex parvitate materiæ in illis, in quibus hæc datur; vel ex defectu plenæ deliberationis ad consensum: simile illi peccatum, si homo, suæ salutis; si religiosus, suæ, præter salutem, perfectionis incurius; jam non ex subreptione, aut impedita aliunde reflexione, in materia etiam notabili peccati, plenè, deliberatè, in eo genere in quo olim delinque-

bat venialiter, toties lapſus & relapſus delinquat, nonne etiam te judice erit mortale? Viden! quã rectè Doctor Angelicus concludat quod cæteris paribus, *Sicut puer à viro, ſic veniale differt* à mortali peccato.

14. Pueri in eſſe phyſico non excreſcunt nunc, excreſcebant olim ſæculo naturæ, etiam in gigantes.

Novit Dominus, cuius oculi Sole lucidiores, vident quidquid in nobis imperfectum eſt, an ſæculo gratiæ quod vivimus, poſt tot adminicula ſalutis neglecta, auxilia gratiarum omiſſa, hi pueri, venialia intelligo peccata, non modo in viros, verùm etiam in gigantes morales non ſuccreſcant. Quid ſi pro conſci-
15. entia ſemel in omne genus peccati venialis diſſoluta, toties & toties in vario genere peccas, & ab his non tibi times veniaiũ pueris? quid ſi de tuis in venialia relapſibus, per ſequiora augmenta, pueri venialium matureſcent in viros? quid ſi ex-
ereſcent

crescent in gigantes, quid si contra te formidabilem conflabunt exercitum, milliũ & milliũ? nonne tibi à ruina timebis? Expende hæc, & venialia viam esse ruinæ conclude, & ab illis non incerta tua tibi formides pericula.

Legisti illud, *Beatus qui allidit parvulos ad petram.* Christianus, sub nomine JESV Christi vivis: *Petram habes Christum*; vide venialia, tuos in te parvulos. jam vivunt in aliquantula reflexione. jam tuis post reflexionẽ augmentantur relapsibus: jam per iteratas relapsuum vices volunt excedere staturam parvulorum. donec in virum, aut gigantem excrescat quispiam ex his, parvulus, tempestivè allide ad petram Christum: allide parvulos sigillatim, ut omnes elidas. ne in perfectionis via impediaris. ait enim S. Thomas 3. p. Qu. 87. a. 1. *Per peccatum veniale retardatur affectus hominis ne prompte feratur in DEVM.* expende. 16. Ps. 36. v. 5.

Porro quia fortè plures comperi-
17. es de allidendis venialium parvulos, ordinem allidendorum ſtatue. allide inprimis illos qui ad extra, non citra ſcandalum, inſoleſcere amant. tum etiam interiores, ſub DEO tibi ſoli notos coordina, ad petram Chriſtum, vel ad pedem Crucis Chriſti, allidendos, & omnino elidendos hos parvulos. vt verò id efficaciter facias, ſingulis allidendis & elidendis, auxiliares gratiæ DEI ſuppetias pete. vnde

Colloquium ad Chriſtum cruci confixum, qui in ſua paſſione noſtra fortitudo, & in ſua morte, victoria eſt & vita noſtra, dirige. præconſultâ, & in piis affectionibus benè firmatâ animâ tuâ, pollicere te in cóoperando gratiis DEI quoad parvulos venialium defectus, allidendos & elidendos non defuturum. quod ſi facis, bene ſpera, & experieris te qui hactenus nihil tibi poſſe videbaris, omnia in eo te poſſe qui te-

toties & tot modis confirmat. Vt enimverò spes tua benè concepta, meliùs transeat in rem, quam DEVS exspectat, quantùm ex tua parte est transiturā; Divinissimæ DEI-Paræ Virgini Matri MARIÆ, quæ Mater Sanctæ spei dicitur in universa Ecclesia, tua quoad fugam venialium, vel allidendorum ad petram Christum parvulorvm proposita, in Maternas consigna manus, DEO JESV offerenda.

Propositum practicum, Fuga prævisorum venialium.

Tessera sit hodie. Vulpes parvulæ demoliuntur vineas. *Cant.* 20.

vel hæc. Sciētibus perfectionis bonū, minimarū etiā rerum multitudo gravissima est. *Cass. Collat.* 23. *c.* 7.

vel hæc, non diligit DEUM, qui scienter illū offēdit. *D. Cypr. de Bapt.*

vel hæc. Infans iniquitas mori potest, adulta vix potest. *Oliva Sabb. Domin.* 2. *Quadr.*

vel hæc. Væ animæ audaci *D. Aug. lib. Confess.* 6. *cap.* 12. 13.

ODI-

ODIVM
peccati perfectum:
SEU MEDITATIO
De odibilitate peccatorum venialium.

1, MEnsura nostræ perfectionis & sanctitatis, est accessus ad sanctitatem DEI. 2do. Qui minimas etiam deordinationes & venialia, quantum oderit, edisces ex asceticis suppositionibus impossibilibus. 3tio. Et quantùm amet in hominibus, perfectum venialium odium, attinges, ut perfectè oderis veniale etiā minimum.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare quod S. Pater omnium omnino peccatorum odibilitatem tibi persvasurus, jubeat ipsum audiri hac de re JESVM.

Præludio II. Accipe illa, de ore JESV prolata ad primos suos Socios Apostolos, verba. *Estote perfecti sicut Pater vester, qui in cœlis est, perfectus est.*

Præludio III. Petatur gratia considerandis prædictis verbis.

Puncto I. Cogita mensuram nostræ perfectionis esse accessum ad DEUM. Sicut enim recessus à DEO

in

in creatura intellectuali; arguit in- 1.
fallibiliter defectum in creatura in-
tellectuali; ſic acceſſus, probat
profectum & acceſſum ad perfe-
ctionem. hoc, vnus exactiſſimæ
perfectionis Magiſter JESVS,
primæ & maximæ, ſub nomen ſuũ
collectæ Apoſtolicæ Societati, & in
ea tum aliis religionum tribubus,
tum noſtræ minimæ intimavit So-
cietati, dum ait *Eſtote perfecti, ſicut
Pater veſter, qui in cælis eſt perfectus eſt.*
Quis, & quam proximus eſt tuus ad
DEUM, & perfectiones eius acceſ-
ſus, vide. Nullus dubito, deſide-
ras quã proximè accedere ad perfe- 2.
ctiones DEI: vnã ex infinitis ſugge-
ro Divinã perfectionẽ, inprimis nobis
neceſſariã, odium ſcilicet peccati
perfectum. Quidquid nomine pec-
cati venit, etiam veniale peccatum
oderis quàm perfectiſſimè, & citra
dubium proximè accedis ad perfe-
ctionem & ſanctitatem DEI: non
accedes ſi non odiſti. Sanctitas DEI
eſt illa, quæ non ſolam gravem, at 3.

etiam minimam deordinationē non patitur: & minimum etiam veniale odio persequitur perfecto. si solas magnas, (utinam & has efficaciter) vitare deordinationes, deviationesq; à fine tuo, quales deviationes sunt mortalia; contentus es: parvas autem deordinationes aut venialia non fugis; indubiè proximum quē desideras non habes accessum ad DEVM & eius perfectiones, inter quas est odium perfectissimum, omnis omnino etiā venialis peccati. Statue exhinc pleniorē accessū.

4. *Puncto II.* Odibilitatem peccati venialis, vel quantùm illud oderit DEUS, pensiculatius in his expende suppositionibus. Tanta est unius etiam venialis peccati odibilitas, ut si in gloria cœlesti, maximus etiam Sanctorum, Comprehensor aliquis, per impossibile venialiter delinqueret, illico cœlesti privaretur gloriâ, cœloq; excluderetur.

5. Divinissima DEI-Para Virgo Mater MARIA, de speciali privilegio

Redem-

Redemptoris præservativi, ſine labe originali concepta, procul ab omni fomite peccati; etiam venialiter peccaſſe non potuit. Sed ſi per impoſſibile contraxiſſet aliquod veniale, certo certius non evaſiſſiſſet in Matrem DEI: qui ſicut naturam peccatricem noluit aſſumere, ſic nec Matrem voluiſſet habere venialis peccati ream.

Humanitas Chriſti, unita Verbo evaſit impeccabilis, quia Perſona Verbi ad agere complens naturam humanam, impeccabiliſſima, quia Divina fuit: ſine Perſona autem nihil agit natura rationalis, ſicut nulla alia natura ſine ſua agit ſubſiſtentia, tanquam ſine ſuo vltimo complemẽto ad agendum: vnde illud eſt axioma *Actiones ſunt ſuppoſitorum.* his omnibus ſtantibus, ſi Humanitas Chriſti vnita VERBO, per impoſſibile venialiter peccaret, illico dimitteretur diſſolutâ vnione Hypoſtaticâ. En quanta DEO eſt odibilitas peccati venialis. Tantane tibi? 6.

cui

cur animum affectumq́ tuum, quoad odium omnis omnino etiam venialis peccati, non proportionas animo affectuiq́ DEI, odientis etiam minima venialia, odio perfectissimo?

7. Magna, magna DEI in homines
1ª 2dæ 1. clementia est; quia licèt secundum
11 a. 3. Doctorem Angelicum *Vna & eadem*
ad 2m. *sit gratia viæ, & gratia Patriæ*; tamen in Comprehensore tantùm sit incompossibilis; in viatore autem sit compossibilis gratia cū veniali peccato. At hæc clementia DEI, non debet sumi in destructionem, verùm in ædificationem. Vrget sua tenentes vestigia Sanctus Apostolus, *Sic currite* in via, *ut comprehendatis* in Patria. quibus fortè videtur exigere verbis, ut venialibus etiam compossibilitatem cum gratia, quantùm in nobis est, non permittamus in animabus nostris, odibilitate venialium (quæ nostrum impediunt cursum) bene penetratà.

Optimè venialis etiam peccati, odibi-

odibilitatem; in lumine DEI, suas sub collectiones, penetravit B. Catharina Genuensis: quæ cordiali voce, hoc propositum elocuta est, in auribus JESV; *Amor mi! Amor mi! nullum! nullum posthac peccatum!*

Puncto III. Vide quàm gratum sit DEO, in homine videre omnium, etiam venialium saltem deliberatorum, perfectum odium. Tam gratum est, ut tales specialiùs arctiùsque sibi uniat, & nunquam à se suoque corde dimittat. Si semel assumis odium venialium tale, ut illud nunquam dimittas & nunquam deliberatū admittas veniale, (quod plures fecere SS.) spera quia & te, ubi semel assumpserit pro suo, nunquā dimittet DEVS. & tantā, tā æstimabilem, non optabis tibi felicitatem? 8.

Odisse veniale odio perfecto, gloriosum est: quia est disponi ad illū, moralis Maternitatis titulum, de quo Christus Dominus ait: *Qui facit voluntatem Patris mei*, supple quam ego intimavi, jubendo perfectum esse 9.

ſicut Pater cœleſtis perfectus eſt, in odio peccati, *ille meus & frater, & ſoror, & Mater eſt*. En quo per odium venialium aſcendis! attende. & hoc non appetes? non appetes ut ſub hoc titulo, quaſi altera Chriſti Mater, multoties in animabus fidelium regeneres moraliter Chriſtum? circa animas Chriſto lucrandas, hic & ille labor, hæc aut illa induſtria, non ſuccedit; cauſa in promptu eſt, quia non eſt in nobis perfectum odium, quoad venialia; unde Bonus JESUS, detrectat nobis conferre titulum Maternitatis moralis.

Altum eſt venialium deliberatorũ
10. odium perfectum: quia tam ſublime, quàm ipſum cœlum. Non compatibile eſt in gloria cum ſtatu Comprehenſoris, veniale etiam minimũ; ſi odiſti odio perfecto, etiam minimum veniale, jam prælibas felicitatem Comprehenſoris; jam Beati characteriſticã habes; præcipuè qui ſub JESV nomine religioſus vivis.

Utiq;

Utiq; jam magnam viæ in temporanea vita decurristi partem: è 11.
sæculo huc eductus, jam habes aliquam Comprehensoris umbram, dũ in statu hoc vivis, vbi omnibus exclusis, è verò dicis, *DEVS meus hæreditas mea, & pars mea DEVS in æternũ.*

Utiq; jam propior gloriæ DEI es,
dum in eam vocatus es religionem, 12.
quæ de Paterni cordis affectu, pro tessera accepit *Majorem DEI Gloriam.* Cur igitur compatieris in anima tua, cum tot gratiis, & cum ipsa, quam debes profiteri, majore gloria DEI, veniale aliquod deliberatum peccatum? omnino illud exhinc oderis, quàm perfectissimè, sic proximè accessurus ad DEUM.

Colloquium affectuosè devotum institue ad JESUM, vnum omnigenæ perfectionis Magistrum: ut saltem hanc vnam è DEI perfectionibus plenè consequi donet in via, quam coronet in Patria.

Propositum practicum, Odium perfectũ cuiusvis etiã venialissimi deliberati peccati.

Si placet variare tesseram, assume hanc tuæ reflexioni. Positis humi genibus orabat JESUS.

vel hanc. Flexo corpore, mens est erigenda ad DEVM. *D. Bern. lib. Medit. cap. 6. n.*

PAROENESIS.
Obturate fontes. supple venialium.

1. ASsiriis, cum Sennacherib Rege, totum belli impetum, contra Jerusalem vertentibus, Ezechias inito cum fortissimis consilio, edixit suis, *Obturate fontes*, ne Assirii venientes habeant abunxantiam aquarũ. *Paralipomenon 32. v. 4.*

2. Vniversim, omnium hominum saluti, infensus infernus; longè infensior est perfectioni religiosæ: & totas quantas, aliunde etiam collectas, exerit vires in religiosos, tanquam populum DEI.

Nobis igitur qui extra omnes tu-
3. multuantis sæculi cogitationes, tum

aliàs,

aliàs, tum potiſſimùm ſub hoc ſacrũ octiduum vivimus, tanquam in viſione pacis, tanquam Jeroſolimæ, nobis dictum putemus poſt venialium peccatorum odibilitatem expenſam, *Obturate fontes, ne poteſtas tenebrarum ſæviens contra lucis filios*, inveniat abũdantiã iniquitatis, quæ de fontibus venialium profluat; & per eam vrgeat vſq; *in profundum impietatis.*

Paruit populus DEI monenti Ezechiæ. & ut Sacer textus atteſtatur, *Cunctos obturavit fontes, & capita fontium, & rivum qui fluebat in medio terræ.* Sicq; ſenſit ſuper ſe auxilium DEI, qui pro ſe pugnavit; & Sennacherib cum Aſſiriis uſq; ad internecionem redegit. 4.

Simile auxilium DEI in via perfectionis poſſumus ſperare, ſi ſimilia facimus, ſi fontes venialium defectuum, & capita fontium obturamus, vt ſic fluens per medium terræ, in oculis communitatis, rivus venialium deſiccetur, Expediens igitur eſt 5.

ſub

subsecivis hic & nunc, & post modũ aliis horarum particulis, videre sub has collectiones, fontes venialium, illosq; vel obturare: vel saltem media efficacia in præsẽti providere illis proximè obturandis. aliàs ni hoc facimus, frustra omnis labor desudabit, manebuntq; uti erãt venialia. *Omnis enim vitii frustra siccatur rivus si fons non fuerit obturatus.* ait *D. Bernardus de vita solit. c. 23.*

Duplices porro venialium sunt fontes: alii, vnicuiq; hominum pro-
6. prii: & hi ut plurimum intus latentes, nec satis aliis cogniti. Alii communiores cum aliis & ad extra passim patentes. Proprios defectuum fontes sua vnicuiq; conscientia in lumine DEI, qui præcipuè animo collectos illuminat, ostendet. Eorum qui omnibus ferè sunt communiores aliquos hic innuam.

Magnus Asceta, primus meus, qui me in Societatem minimam sub no-
7. men JESU admisit Provincialis, R.

P. Ga-

P. Gaſpar Druzbicki, libro cui titulus, Tribunal conſcientiæ, Induſtria 10. examinis faciendi, communes venialium fontes recenſet 28. attingo aliquos.

1. Langvor mentis ex tepiditate oriundus, efficaciam & conatum enervans fervoris concepti in meditationibus: nec ſinens adæquari propoſita, executione. Sicut enim lāgvor corporis, non ſinit ea reduci in effectum, quæ homo præconcipit animo vegeto, ſic & langvor mentis.

2. Inconſtantia in bene cœptis ac propoſitis: quæ planè eſt filia langvoris mentis, modo volentis, modo nolentis; nihil ad finem, ut opus eſt, urgentis.

3. Dilatio in via perfectionis neceſſariò agendorum; de hora in horam, de die in diem; de qua ſicubi, certè hic illud verifibabile eſt, quod differtur ad perfectionem conducēs, hoc & aufertur, ut ſola dilatori maneat imperfectio.

4. Dila-

4. Dilationi quid oppositū; præcipitatio, festinatio; ursio inquieta, & tumultuatio quædam agendorum coordinatorum. Quo casu ordinata perturbantur, multa ad perfectionem conducentia omittuntur.

5. Dissimulatio & quædam affectata oblivio in conscientia, errorū, defectuum, remorsuum, monitionumq; internarum, quæ solent emergere ex dictis, scilicet ex lāgvore mētis; inconstantia in bene agendo, dilatione bonorum bene agendorū, vel etiam ex præcipitatione. Ex hac autem affectata oblivione errorum & defectuum, remorsuumq; in conscientia, quanta scaturigo profluat venialium, vnusquisq; potest advertere, si vel modicam supra hæc habere velit reflexionem.

6. Obstructio gratiarum excitantium, & invitantium ad bona agenda inspirationum, grandis est fons venialium! quia quod aliis præscriptum voluit, servat ipse sibi DEUS,

Non effundit sermonem, ubi non est auditus. Inspiratio DEI, invitans ad bonum, sermo DEI est: gratia excitans ad bona bene agenda, pro sermone DEI tibi esse debet. Obstruis DEO tibi loquenti quodammodo os, dum hæc negligis: quid non timebis, quid sperabis, nisi profluvium venialium, si non plenum defectuum licèt minorum diluvium.

7. Profusissimus in malum fons venialium est, desvetudo à bonis, etiam nostrâ opinione minoribus; & è contra, assvetudo in malis, etiam minimis, etiam quasi festucis, quæ post modum succrescant in trabes. Hos innuisse fontes interim suffecerit.

Præterea omnium tam particularium, quàm communiũ omnibus aliis, 8.
in peccatis venialibus, fontium caput adverto vnum omnino maximè observandum.

Hoc caput est, non vivax de immensitate & præsentia DEI fides. In religiosis, nemo vnus dubitat, quia

viva eſt de DEO fides, & eſſe ſupponitur. quia anima religioſorum, ſupponitur animata ſemper eſſe, per gratiam DEI. Supponitur item pro poſſe vnusquiſq; religioſorum bonis inſudare operibus, adeòq; viva eſt de DEO fides in religioſis. Sed & in illis venialia non fugientibus, vix eſt vivax fides de immẽſitate & præſentia DEI vbiq;, qui totus oculus eſt.

Ad vigilem ſupra ſe Superioris
9. oculum, totus exterior homo religioſus, ſe ad amuſſim ſuo præſcriptã inſtituto componit quàm decentiſſimè. Non poſſum mihi perſvadere, quomodo aut intus, aut extra, etiam in minimis malis non declinatis, aut bonis omiſſis exlex vivere audeat homo, præcipuè religioſus, ſi vivacẽ de immenſitate DEI, cœlum & terram implentis, fidem habeat, & irretorto mentis oculo illum vbiq; continuò intueatur.

Eſtò linceus affingatur homini ocu-
10. lus, tamen ea nonniſi videbit quæ patent,

patent, nec vnquam ad illa penetrabit, quæ intus latent, nisi fortè, (vix aliquando certè) conjecturaliter. DEUS enim verò noster, corda & renes serutatur: primò primas intentionum cogitationumq; radices penetrat: omnia ejus aperta oculis, tā interiora quàm exteriora: omnia à fine ad finē attingit fortiter. hæc si cogitamus, quid intus aut extra ad amussim instituti cuivis præscripti non componetur?

Talē igitur provideamus in conspectu nostro semper DEUM Dominum nostrum; & nullus dubito; quia tam particulares, quàm communes venialium fontes obturabuntur; ac ille defectuum rivus, qui sub oculis conviventium hactenus fluebat, in posterum desiccabitur.

HORA REFLEXIONIS

Reflectet se supra judicium particulare, quod potest hominem arcere à venialibus.

1. EXpende illa, quibus particulare judicium circumscribi videtur;
Dan. 7 v. 10. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt*: vnde salutarem concipias timorem, & venialia saltem deliberata vites accuratiùs. Si de vno quopiam facto, exaggeratiùs ad judicium explicato, aut de tua doctrina, viri ex Provincia aut Regno, ad tuum deputati judicium convenirent; ad eos evocatus judicandus, nonne formidares? tota quanta vita est, (& fortè majori parte est defectuosa) in judicio particulari, à quo, dependet vniversale, discutietur. & non formidabis illud?

2. *Iudicium sedit*, ipse DEUS Homo JESUS, Judex est. secundùm illud,
Ioan. 5 n. 22. *Omne judicium dedit Filio: Pater non judicat quenquam.* Æternæ est illud

veri-

veritatis, quod de se protulit Christus, *Ego & Pater vnum sumus.* Et certè secundùm quod DEUS, secundùm naturam, vnum cum Patre est Christus. quid verò si hoc dicto, *Pater non judicat quemquā*, hoc inter cætera vult nobis inculcatum, quia ad judiciū particulare vniuscuiusq; ponet quodammodo Personam Patris, & assumet solius Iudicis, putas non formidabile tibi fore judicium particulare? Fuerit sanè tua vita,
cum DEO, cum tua consciētia, cum 3.
proximis; continua pacis visio, & quo ad hoc, quasi *Ierusalem.* tamen his etiam positis, Judex tuus JESVS formidandus erit, qui de se, apud Prophetam, ait *Scrutabor Ierusalem in lucernis!* Sopho. niæ n. 12 Audin? non satis habebit Judex tuus DEUS Homo scrutari te, ad particulare judicium, in vna lucerna, sed in lucernis!

Legisti illud Regis Prophetæ, *Lucerna pedibus meis Verbum tuum:*
tam exteriùs quàm interiùs, ad au- 4.

rem cordis dictum. in omnibus his lucernis, in omnibus inspirationibus tibi olim datis in bonũ, Judex tuus, te & tuam conscientiam in judicio particulari scrutabitur! & non expavesces hoc judiciũ? & adhuc audaci in venialia deliberata passu ibis?

Adstat Judici DEO-Homini, cum
5. sua æquissima bilance expendẽdis in vitam æternam bonis operibus Sanctus Michaël. quid si vbi veneris, & appensus in statera inventus fueris minus habens, vel propter ipsa venialia? debebis pondus pati pœnarum in purgatorio, ut inveniare satis habens ad pondus gloriæ.

Assessores DEO Judici Christo JE-
6. SV, in hoc, quod sedit, judicio; mentis oculo vide. ac inprimis expende illam vniversalẽ thesim DEI Judicis JESV, *Vos qui reliquistis omnia, & secuti estis me sedebitis super thronos judicantes &c.* ut plures ex hoc fundamento timeas assessores. tum cogita. Qui JESVM secuti sunt, via insti-

instituti tui, tibi præscripti & acceptati, præter Sanctos Apostolos, assessores erunt DEO-Homini te dijudicaturi. Sanctus Pater, primus ab Apostolis in hoc judicio assessor, tum alii de triumphante Societate. v.g. Beatus Stanislaus Kostka de religioso tirocinio in Societate peracto: de rhetorico Scholasterio, Hieronymus Cygnardus: de Philosophico studio, Joannes Berchmans: de Theologicis Theoriis B. Aloysius Gonzaga; de Sacerdotali vita, tot Sancti Sacerdotes ejusdem instituti, de tolerantia adversorum, nostri SS. Martyres tuam dijudicaturi vitam assidebunt DEO-Homini JESV. jam vide, an non timendum erit, dum tota vita tua discutitur in hoc judicio, quod supra te sedebit? vide & tuam consule animam, an etiam cum venialibus in hoc judicium venire velis? vide quod tuum est de Judice DEO-Homine JESV meritũ? quod de Sanctis assessoribus? quæ

illorum imitatio? vt te sui similem agnoscant, placidoq; intuitu animent in judicio particulari, indubiè tremendo. Expende vlteriora

7. de eodem judicio, Danielis verba. *Libri aperti sunt.* habebit ante se, sub oculo suo Divino JESVS Judex tuus, codicem legis decalogo præscriptæ, habebit volumen Evangelii, habebit institutum Societatis JESV, in quo digitum DEI, Sedes Apostolica advertit. Actor contra te Sathanas librum de tua vita concinnatum, eslò mendaciis refertum, ponet in Judicis obtutu. Sanctus Angelus tutelaris modestè accedens, fortè de bonis pauca habens connotata, apponet libellum similem, tuæ defensioni. Sed tua tibi conscientia, nunc liber clausus, ibi apertus patebit: & quem hîc fortè negligebas, cogeris ibi legere & relegere, non vni tibi, sed omnibus jam apertum Judicibus, præcipuè Judici DEO JESV. Dum ergo

tempus habes, revide an plura de tuæ conſcientiæ libro, in libellum Sancti Angeli, ad tuam ſint defenſionem tranſumpta; an in actoris contra te dæmonis adverſariis, ad accuſationem tui ſubſervitura. Væ mihi miſero! gemebat D. Bernardus, cùm venerit illa dies judicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus, & cogitationes, Domino præſentandæ recitabuntur! l. Med: c. 2. n. 2do ad inis.

Fortè gemis jā & tu, gemesq; tunc cum Davide, *A judiciis tuis timui!* adhuc in tua poteſtate eſt librū conſcientiæ in judicio aperiendum corrigere. abole cōtriti cordis lacrymis, vel dolore cordiali, quæcunq; erant ſequiora. nihil etiam de venialibus poſtmodum adde. & eam inſtitue exhinc vitam, quam totam tuus S. Angelus, ſuo & tuo ſolatio connotet, quam S. Michaël ſub oculo judicii ſedentis in ſua bilance inveniat tantum habere, quantum vita religioſa exigebat. Quod ſi non fece- 8.

ris, illud in ultimis time, ne ab hoc judicio, quod sedebit supra te
9. sententia contra te feratur conceptis
Malachiæ 3. apud Prophetam verbis. *A legitimis meis recessisti, & ea non custodisti.*

Legitima tua sunt, lex DEI in decalogo per Moysen data, lex Evan-
10, gelii à Christo promulgata, lex religiosa Sancto Patri divinitus inspirata. cave ab his recedere, quia aliàs ad mille non respondebis vnũ, & ipse contra te stare pro veritate debebis. Tremis, & evasionẽ hu-
serm: jus judicii percupis invenire? sugge-
167. rit brevibus, D. Chrysologus: *Ne judicemur, judices nostri simus.*

TEMPORANEA
Venialium pœna à morte:
SEU MEDITATIO
De Purgatorio.

1. CLavem purgatorii Iustitia DEI habet, non Misericordia: & quantum quis infert illuc materiæ, in tantum expiatorius ignis sævjt non parcens. 2do, Utraq; pœna, tam damni quàm sensûs ibi est.

sed

ſed pœna damni probabiliter eſt intenſior, quàm in inferno. 3tio. Oblectationi autem in creaturis quæſitæ, commenſuratur pœna ſenſûs, eo longior futura, quo quis ad emerenda ſuffragia vixit negligentior.

Oratio præparatoria ſolita.

Præludio I. Audi Sanctum Patrẽ de purgatario quod caveas, hoc tibi dicentem: *Non miſerebitur tuî, qui fecit te, nec parcet tibi, qui formavit te.*

Præludio II. Conſveta fiat petitio auxilii efficacis, his penetrandis.

Puncto I. Cogita prædicta verba à S. Patre tibi intimari, ut dum in via hujus vitæ es, provideas tibi, ne olim conjiciaris à morte in carcerem purgatorii, cujus clavem non Miſericordia, ſed Iuſtitia DEI habet; à qua hoc audies: *Qui formavit te, non parcet tibi, nec miſerebitur tui qui fecit te.* Provideſne tibi omnia quoad evaſionem purgatorii neceſſaria tempeſtive? 1.

Si materiam expiatorio illi igni, offenſas DEI, ſaltem quoad reatum pœnæ reſiduas, vindicanti, non eva- 2.

2. p. ſctid. cuas,

euas, sed congeris per venialia; næ, tu mihi crede, non vis evadere, aut saltem non efficaciter vis evadere purgatorium?

3. Materia illius ignis expiatorii est, verbum etiam otiosum, juxta illud: Matth: v. 36. *De omni verbo otioso reddet homo rationem*; supple etiam in purgatorio, si in vita non reddidit. Materia illius ignis, est minima temporis particula, vel in otio deperdita, vel non ita, ut par, est collocata; ibi enim audiet à Iustitia DEI inclusus: Matth: 5. v. 12. *Non exibis hinc donec reddideris ad minimum quadrantem.*

4. Materia purgatorii est, Devotio præcipitata; ut habet historia de Religioso cellario, præcipitante gratiarum actiones privatas à mensa, propter expediendum cœnobii famulitium.

5. Materia ignis purgatorii est, etiam minutior consvetudo contra religiositatem in religionem inducta. Sic vnus de religiosis, primus caniculum

lum fovens, cujus exemplū alii post secuti; in purgatorio eo usq; detentus, donec omnes illo mortuo per apparitiones vrgente, catelli expedirentur è cænobio.

Materia purgatorii est, etiā quodvis bonum non bene factum; & hoc est quod dicitur de nostris operibus: *Ignis autem probabit.* Vide ergo an imminuas, an augeas materiā igni purgatorio per venialia; & tibi tempestivè provide, ne easdem ibi luas pœnas, quas in inferno; determinatas nonnisi tempore, & per tempus disterminatas, vt sic loquar, ab æternitate inferni. 76. 1Cor 3.13.

Puncto II. Cogita. Estô nunquā obnoxius vixeris noxæ graviori mortali, sed tantùm leviori & veniali: tamen vtramq; sicut damnati æternam in inferno, sic temporaneam in purgatorio lues pœnam, pœnam scilicet tam damni, quàm pœnam sensûs, utramq; venialibus proportionatam: si dum vivis, justitiæ DEI 77.

non

non satis facis. Quia & in veniali, in quod fortè audax es, peccato, includuntur hæc duo generica prædicata: *Aversio à DEO, & conversio ad creaturam.* expende hæc, & time etiam venialia. Pro aversione à DEO, lues pœnam damni, consistẽtem in carentia beatificæ visionis DEI. Pro conversione ad creaturã, & in creatura oblectamento, lues pœnam sensûs. Justa & recta judicia DEI hic adora. De pœna
8. sensûs infra. pœnam damni id loci expende, quanta sit.

Si quem habeas tibi in amicis addictissimum, eumq; in omni occasione munificum in te benefactorem, & affectu planè Patrem pientissimũ, ac tuo omni in eum feraris cordis & animæ affectu, jamq; illi in proximo sis, & aliquo obstaculo non permittaris accedere, videre, plantas basiare, quantum excruciareris in anima! Absalon reus fratri-
9. cidii, exul triennis extra Patriam, in Patri-

Patriam redire permissus, sub Paternum Regis Patris oculum non admissus; tolerabilius censuit, mortẽ quamcunq; subire, quàm faciem Regis Patris non videre. Vnde hæc verba sua ad Regem ablegato Joabo in ore posuit: *Obsecro videam faciem Regis. quod si memor est iniquitatis meæ, interficiat me.* Audin? quãtum in Absalone, qui se jam ferè obliviscebatur filiũ Regis Patris, cui rebellionem parabat, quantum desiderium videndi Davidis, sub nomine Regis & Patris fuit! 2Reg. 14 v. 32.

Expende ergo ulterius. Animæ in purgatorio sentiunt sibi DEVM esse addictissimũ, qui non vult mortem peccatoris. 10. sentiunt in se munificentissimum, quia finalem gratiam, cui tota bona æternitas infundata est, accepêre. Sentiunt Patrẽ pientissimum, qui sibi & annulum arrhæ, & primam gloriæ æternæ stolam habet paratam. propè jam se, in accessu ad illum vident constitu-

tas, sed suis vitiolis sentiunt se ab eo arceri: quid putas, quantum ardent videre DEVM? putasne quod non magis intensivè excrucientur hâc pœnâ damni, quàm excrucientur ipsi damnati?

Communior Ascetarū sensus est,
XII. quòd & damnati, magis affligantur pœnâ damni, quàm pœnâ sensûs; tamen hoc etiam stante, vix non probabile est, quòd animæ purgatorii, majori intensivè pœnâ damni excrucientur, quàm damnati, sive homines, sive dæmones. Quia & his est quidem notitia, quantum amiserint boni cum visione DEI: sed tamen his omnibus illud bonum jam desperatum est, & desiderium videndi DEI non est in eis absolutum; adeòq; desiderio DEI videndi, fortè non ita intensivè affliguntur damnati. Secus quoad hæc omnia de animabus purgatorii sentiendū, vnde longè intensiùs pœnâ damni affliguntur & excruciantur, de certo,

sed

ſed dilato bono, interim deſiderio videndi DEVM maximè ardentes, quem ſperant, nec poſſunt videre.

Et hac pœna damni quæ te manet in purgatorio, ſi te avertis à DEO 12.
etiam venialiter, hâc pænâ expenſâ, adhucne audax vives in venialia? animalis homo vivis, ſi non percipis hæc, quæ ad felicitatem ſpiritûs, ad felicitatem animæ tuæ ſpectant. vide, percipias & ſapias ea quæ ſpiritûs ſunt.

Puncto III. Cogita pœnam ſenſûs pro converſione ad creaturam 13.
infligendam in purgatorio proportionatè ad eam oblectationem, quã aliquis quæſivit habuitq; in creatura, & hoc eſt quod dicitur: *Quantum ſe glorificavit, & in deliciis fuit*, puta in creatura, *tantum illi date tormentũ*, Apoc. 18
& luctum. Eædem autem ſunt quo- v. 7.
ad ſenſum pœnæ in purgatorio pro converſione ad creaturã, quæ & in inferno, tempore tantùm diſcriminatæ, de quibus nuper cogitatum.

expende id loci, quod D. August de igne purgatorio scribit. *Gravior erit ille ignis, quàm quidquā homo potest pati in hac vita.* in Ps. 37.

Vide ergo an has velis subire pœnas? Vis, si non vitas etiam venialia. Meliora exhinc tibi provide, ne ad illam damnatorum viciniam accedas, vtrâq; excruciandus pœnâ in anima ad tempus, licèt capax suffragiorum Ecclesiæ; si tamen in vita impetraveris eorum tibi participationem, & obicem non posueris impetrandis. Vlteriora lege cautelæ.

14. D. Gregorius lib: 4. Dialogorū cap: 32. 38. & 39 docet, non participare eos suffragia Ecclesiæ in purgatorio, qui in vita non meruerunt id, ut ea sibi prodessent. Idem Doctor Angelicus S. Thomas Opusc: 62 § *Cura DEI de creaturis*, signanter ait: *Per desideria triumphantis, & per suffragia militantis Ecclesiæ adjuvantur,* (supple animæ purgatorii) *si viventes in hoc sæculo meruerunt.* Quod

tuum

tuum in via vitæ, quoad Ecclesiam triumphantem? quod est quoad Ecclesiam militantem meritum? ut de illius desideriis, de hujus suffragiis olim quantocyùs adjuveris in eliberationem ab igne expiatorio?

Rodericus Tom: 2. Quæst: Regul. Quæst. 98. Artic. 3. Non participantes de suffragiis Ecclesiæ explicando ait: *Qui non habebant speciálem devotionem erga claves Ecclesiæ donativas indulgentiarum, nec erant soliciti ad satisfaciendum, pro peccatis suis propriis, nec erant misericordes ad alios, nec soliciti ad suffragandum defunctis.* Vide ne horum numero non participantium accensearis?

Obicem aliquem suffragiis videre cupis? D. Gertrudi hic revelatus est Lib. 5. Cap: 19. insinuationum 15.
Divinæ pietatis; sic habet revelatio. *Vidit quandam animam in purgatorio, quæ communibus Ecclesiæ suffragiis adjuvari non poterat, usq; dum aliquantulũ purgata, DEO miserante deponeret*

illud

illud pondus culparum (erantq; autem culpæ inveteratæ ab ea neglectæ) quod sibi obstitit, ne participaret suffragiis Ecclesiæ, quæ singulis momentis descendunt super purgandos, velut res saluberrimus & vnguentum suavitatis, vel potiùs dulcissimæ refectionis.

Vidisti obstaculum suffragiis Ec-
16. clesiæ DEI in purgatorio. venialia sunt. Alia enim non purgatorii materia, sed inferni sunt. Cave tibi à venialibus. Cave in illis etiam inveterascere, ne diu nihil participes de suffragiis Ecclesiæ DEI à tua morte; quamvis in tua patientia benedicas DEUM in purgatorio, quod in inferno non habent damnati. Elue quãtocyùs contriti cordis lacrymis maculas venialium. *Melius enim*
BB. PP. *ait Pacianus fonte purgari quàm igne.*

Colloquium institue ad Divinissimam DEI-Param Virginem, quam D. Bonaventura vocat *Matrem Divinissimam, quæ clavem thesaurorum Sanctissimæ Trinitatis, & Thesaurum indefi-*

ientem hæreditatis DEI tenet. ut per-
am possis habere omnium venialiũ
perfectissimum odium, illisq; evita-
is, evadere etiã pœnas purgatorii.

Propositum practicum. Frequens & vi-
ax rememoratio pœnarum purgatorii.

Si placet variare tesseram. hæc
it ex S. Apostolo,

Alius ædificat aurum, alius argentum, &c. Ignis autem probabit

Quid ego ædifico? Quid par est?
t ædificem?

Hactenus majori parte via purga-
iva, jam aliquid de illuminativa de-
bandum.

REGNUM CHRISTI.
SEU
Contemplatio Regni IESV.
Ex similitudine Regis terreni subditos suos evocantis ad bellum.

ASsumatur ex Exercitiis S. Patris ut suo loco est. Quia verò Hebd. 2. contẽ. Pater bis interdiu hoc exercitiũ fieri

fieri jubet, manè, cùm primùm surreximus; & in hora prandium vel cœnam præcedente; ut repetitio commendatissimi à S. Patre exercitii, fiat ad profectum spiritualem conducibiliùs, potest relegi, quæ sequitur.

MEDITATIO
De Rege Christo.

1. REx optimus, secundùm cor DEI vir, & Rex David; infelix quoad suos sibi rebellantes. 2do. Felix erat quoad Ethai Gethæum extraneum, sibi fidissime adhærentem. 3tio. Vix non simile quid Filio David IESV, contingere solet.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare quod S. Pater Regem tuum, cui juramentum per vota dixisti ostendat JESVM, jubeatque audiri.

Præludio II. Accipe verba tui ad te Regis JESV prolata: *Ego constitutus sum Rex* Psal. 2. v. 6.

Præludio III. Adora profundissimè tuum Regem & tam eius dignitati, quã tuæ obligationi & fidelitati penetrandæ, ab eodem pete gratiã.

Puncto 1. Cogita, sæpiuscule Re- 1.
es etiam divinitùs electos, & à
EO constitutos, licèt optimi sint,
sua regna meritis adimpleant, ni-
il aut vix aliquid felicitatis habere
i suos domesticos & subditos; ac
ipra spem de bono affectu & since-
tate agendi, in extraneorũ inveni-
e animis.

Mansvetissimus David Rex, pro 2.
ota sit interim unus inductione.
avid Rex, vir secundùm cor DEI.
ex, reprobato Saule, ab ipso ele-
tus DEO, & per Samuelem vngi
ussus in Regem. Rex de Isràéle
ptimè, nec semel meritus: qui &
llam turrim carneam, Gigantẽ pro-
travit: & tot gentilium exercitus
udit: qui omnia sperare de suorũ
ffectibus, sibiq; polliceri potuit plus
uàm certò: & omnia videbatur
abere, donec compareret rebellio-
is auctor, qui contravenire vellet
Regi. Infelix Absalon, de-
ener optimi Regis filius, tubam 3.
clan-

clangere in rebellionem contra Patrem jubet. ad inflatam tubam jubet, suum regalisari nomen: *Re-*
2di Reg. 16. *gnavit Absalon.* Et quid non immutatum in Israël.

4. Qui juratos habebant Christo Domini, Regi Davidi affectus, omnes rebellant; rebellem Davidis filium sequuntur omnes. De illis sacra habet litera: *Toto corde Israël sequitur*
ibid. *Absalonem!* Non sequebatur sic Davidem, dum illi adhærere videbatur. En infelicitas Regis optimi, à DEO electi, à DEO constituti; infelicitas & ad domesticos, & ad subditos. Indole infortunio Regis boni.

Puncto II. Vide quomodo Ethai Gethæus, extraneus advena ad servitium Regis; solio exclusum, vix non solus, sequitur Davidem. Rex ait, *Cur venis nobiscum? revertere, peregrinus es; heri venisti, hodie compelleris nobiscum egredi? Revertere, & Dominus faciet tecum misericordiam & veri-*

veritatem, quia ostendisti gratiam & fidem. Quod responsum exspectas ab Ethai extraneo, Regi datum? Audi, ait ille: *Vivit Dominus, & vivit Dominus meus Rex, quoniam in quocunque loco fueris Domine mi Rex, sive in morte, sive in vita, erit ibi seruus tuus.*

Penetra profundiùs prædicta, & conclude, è vero illud esse positum: 8.
Quia Regibus etiam â DEO constituis, vix apud suos domesticos & subditos, Regia constat felicitas; majorque non rarò quoad extrarios contigit illis prosperitas.

Puncto III. Vide, an quod contigit Davidi, non contingat filio Da- 9.
vidis JESV? De se veritas Incarnata, Bonus JESVS enuntiavit, quòd sit plus quàm Salomon; consequenter, plùs quàm omnes alii Reges, plùs quàm David, Rex in Israël,
Filius Davidis JESVS, *Regum Rex,* 10.
Dominantium Dominus: Omnia sub Sole regna superimplevit suis meritis. Rex, in quo sibi complacuit

Abæternus Pater, tanquam in Coæterno ſibi Filio. Rex, qui Principem mundi univerſi, ejecit foras. Rex, non tantùm de univerſo, ſed de ſingulis in univerſo individuis,
11. optimè, nec ſemel meritus Et quam putas habet ad Chriſtianos, quam ad ſuos domeſticos felicitatē! quam ad religioſos! Sub nomen ejus venimus, è maligno ſæculi per ejus gratiam evocati. Ipsâ votorū nuncupatione, obſequia tanto Regi juramus, at vix duramus.

Si quis contra filium David, qui plùs quàm David eſt; contra
12. JESUM auſit & velit Synagogam libertinorum conflare, mox illum, libertinorum authorem, JESV rebellem, toto corde, & quod conſectariū eſt, toto ore, toto agendi modo per omnes levitates, non pauci ſequuntur! Qui JESVM olim, ut apparet, non toto ſequebantur corde!

En & ipſe Regum Rex JESUS,
13. ſæpiuſculè non apud omnes domeſticos

ſticos habet; quam ſperabat felicitatem. dole vices JESV, nec ſatis dedolere poteris, ſed ſolatio JESV, vide ne feceris dolenda.

Extrarii, qui accolæ ſæculi ſub 14.
Sole vivunt, in omni genere hominum, nec raro, nec pauci reperiuntur, qui ſicut olim Ethai Davidi, ſic illi, *Regi omnium ſæculorum IESV*, appromiſſam ſemel, ſervant in ſemper fidelitatem, illicq; tam in vitam integram, quàm in mortem adhærent, unum inter cætera adſpirantes Optimo Regi affectum: *Mihi adhærere DEO, IESV, bonum eſt*!

Vide, in quorum numero eſſe ve- 15.
lis. In Eccleſia DEI domeſticus es, in minima Societate plus quàm domeſticus vivere potes. Cave ſis ille, de Iſraëlitis, qui corde rebellem ſequuntur Abſalonem aliquem, libertinorum, contra tantum Regem, Ducem! In domeſticis JESV vive, ſed Ethai eſſe elige.

In Colloquio, tuum, S. Patris verbis

bis conceptum, conteſtare Regi JESV affectum.

16. En ô Rex ſupreme, ac Domine univerſorum, tuâ ego licèt indigniſſimus, fretus tamen gratiâ & ope, me tibi penitus offero, meaq́ omnia tuæ ſubjicio voluntati: atteſtans coram infinita bonitate tua, nec non in conſpectu glorioſæ Virginis Matris tuæ, totiusq́ curiæ cœleſtis, hunc eſſe animum meum, hoc deſideriũ, hoc certiſſimum decretum, ut (dummodo in majorem laudis tuæ & obſequii mei proventum cedat) quàm poſſim proximè te ſequar, & imiter in ferendis injuriis & adverſis omnibus, cum vera, tum ſpiritûs, tum etiam rerum paupertate.

Propoſitum practicum. *Firma & fida* JESV Regi adhæſio.

Pro teſſera hodie ſit illud; Sequar te, quocunq́ iveris.

vel hæc. Non eſt æquum, vt per aliud iter Princeps gradiatur exercitûs, & per aliud milites. *D. Laur. Iuſtinianus de humilit c. 18.* VE-

VEXILLVM CHRISTI.

SEU MEDITATIO,

De duobus vexillis, uno quidem IESV CHRISTI, Optimi Nostri Imperatoris, altero verò Luciferi, hostis hominum capitalissimi.

Sancti Patris titulus est, libertatem à DEO hominibus concessam ad duo vexilla intimantis, ut homo ante se bonum & malum positum videns, ad quod voluerit extendat manum; optabilissimum est, relegatur Sancti Patris hæc meditatio 4ta, in hebdomada secunda. si quid requiritur è meo, innuo propter repetitionem hujus exercitii à S. Patre assignatam.

1. VT adames vexillum Christi, prius necesse est oderis Luciferum, in cathedra pestilentiæ sedentem superbissimũ, 2do. Tum intuere IESVM tuum, & lectissimam Apostolorum, Discipulorumq; IESV militiam. 3tio Tandem ut firmiter IESV adhæreas. sequacium Luciferi, ad detestationem: electorum autem IESV vocem audias in ædificationem.

Oratio præparatoria solita

Præludio I. Imaginare quòd tua tibi relictâ libertate, his te ad vexillum suum invitet Rex JESVS, *Qui vult venire post me, sequatur me.*

Præludio II. Tuam contestare alacritatem. *Ecce venio.*

Puncto I. Recole obiter quia se-
1. cundùm Simeonis Prophetiam, Rex tuus *IESVS positus in signum cui contradicatur*, à Stygio Duce superbiæ Lucifero, eiusq; sequacibus. si tibi etiam ad bona contradicatur, animo non dejiciare, quia propè ipsum es JESVM, qui positus in signum contradictionis. ut verò tibi ab illius qui contradicit JESV, sequela, caveas, intuere mentis oculo, quem oderis, Regi tuo JESV, è diametro se opponentem, tyrannum, & *ab initio homicidam* Luciferum, ac expende hæc.

In cathedra pestilentiæ flamman-
2. te, ad Babilonem, quæ confusio dicitur, superbissimus sedet. Quocunq;

etiam

etiam imaginabili ſpectro monſtroſior & horribilior. ignem ore hiat, eumq́ infernalem; naribus exſpirat fumos; oculis infinities baſiliſco ad interitum hominū venenoſior, ſcintillat mera ignita venena. Quisquis ſub eius vel primum aſpectum incautus, etiam à longè incurrit, iam ut plurimum infaſcinatus, in filium perditionis evadit. time hoc monſtrū. time ſingula ejus prædicata.

Audi poſtea quid hic diabolus, ardens invidiâ contra homines ſalvandos, injungat ſuis ſimilibus Angelis, per totum orbem, ad nocendum ſpargendis. Monet de ſua peſtilentiæ cathedra, ut nullum locum, nullum genus hominum, nullam ſub Sole perſonam viventem, relinquant immunem. & tibi hic non timebis? Monet, penetrent omnia, cùm ſpiritus ſint. Jubet attentent & pertentent ſingulos, totâ quanta ſuâ peritiâ, & tantâ & ex tot annis experientiâ tentationum ad Angelicū per- 4. 5.

verſum ingenium acquiſita. Incul-cat, tria, potiſſimum in uſu conti-nuo habeant generaliſſima in homi-nibus ad damnationem illaqueandis, media; 1mo. Cupiditatem diviti-arum, ex concupiſcentia carnis, & *concupiſcentia oculorum* ſubnatam, ni-miumq; amorem temporalium; cum *radix omnium malorum ſit cupiditas.* 2do. Mundani honoris ambitionem. 3tio. Tandem vitæ ſuperbiam, è qua (ut ſuo experimento norunt mali Angeli) tanquam ultimo ad infernũ gradu, in barathrum damnationis, præcipitentur, & proruant illaqueati homines. Cura intimè pernoſſe laqueos, ne illaqueeris.

Adverte inſuper, quomodo im-
6. perio tyranni Luciferi accepto, pote-ſtas tenebrarum, mali Angeli, varias induti formas, alii reptent, alii cir-cumcurſent, alii circumvolent uni-
7. verſum. Alii ut leones rugiunt, quæ-rendo quem devorent. alii blandũ ſibilant ut ſerpentes, ad uſq; inti-

mam

mam cordis aurem, & venenum infernale instillant. alii transfigurant se in Angelos lucis, ut si possibile sit, etiam electos in aliquem priùs errorem inducant, tum suis illaqueent dolis. si hic tua non advertis pericula, ubi tandem advertes?

Vidisti monstrosiorem spectris omnibus tyrannum Luciferum; ejus 8.
imperia in perditionem hominum imaginationis auditu attigisti; destinatos laqueos, & emissarios cum laqueis adspexisti. Cave tibi à vita 9.
deordinata, ne si fortè fueris Babylon vel confusio, locum cathedræ superbi tyranni, cathedræ pestilentiæ concedas in te. Cave tibi ab emissariis & laqueis eorum, cum quibus ex imperio tyrãni circũcursantes orbem, tam pro se quàm pro suo tyranno, inter ipsos etiam DEI electos sapidiorẽ quærunt cibum, juxta illud: *Cibus eius electus.* Vide ne sathanæ, leonis in specie rugienti cedas. Obsurdesce & ad serpentis

sibilũ; nec transfigurato in Angelũ lucis crede, ut eius evadas technas.

Puncto II. Jam jussu S. Patris, in-
10. tuere in amænissimo campo ad Jerosolymam, quæ visio pacis est, (pacem enim & pacificos libenter Rex tuus JESVS videt,) humili quidem, plano, & omnibus planè accessibili stantem loco, Summum Ducem & Imperatorem nostrum JESVM Christum, speciosum formâ, & aspectu summè amabilem. Cogita de Rege nostro JESV illud dictum: *Speciosus formâ, præ filiis hominum.* & non amabis JESVM?

11. *In eum omnes Boni Angeli*, potissimum tamen illi, qui sub Solem, in tutelam hominum & *ministerium missi, eorum, qui hæreditatem capiunt salutis, desiderant prospicere.*

12. E desponsatis cœlo in spiritu animabus, una pro omnibus hoc illi è
Cant. 1. verò tribuit: *Ecce tu pulcher es dilecte*
15. *mi & decorus.* quid simile tua anima adspicit in JESV?

Caput eius aurũ optimũ. plumbeus es, ib. c5, v. 11,
si hoc adorabile cunctis potestatibus
caput non adoras profundè ut debes.
Oculi eius lucidiores Sole, & illumi- 13.
nant & delectant: ac omne tristitiæ
nubilum, si quod erat in corde, di-
spellunt, serenantque animum. Te-
nebrio saltem advitalitius, (utinam
non æternus,) vives, si his te sub-
duxeris oculis. *& spiritus tristitiæ tua*
exsiccabit ossa. Nubilo mæroris in
ipso degravatus corde, frustra omnes,
frustra singulas obibis mendicus cre-
aturas: nuspiam quidpiam aut veri
solatii, aut solidæ emedicabis dele-
ctationis, tui desertor JESV Regis.

Unus hic Rex, suo intuitu animos
exhilarat, depulso nubilo tristitiæ. 14.
Unus, Sanctas in sua manu, æternita-
ti duraturas habet delectationes.
Illum adama, & experieris; succla-
mabisque ad ipsum vitæ exitum, cum
Rege Propheta: *Delectationes in dex-
tera tua usque in finem.* puta, vitæ hu-
jus, temporaneæ: & post hanc, in
æter-

æternitate sine ullo tempore dura-
Ps. 15. turæ. *Sub lingua eius lac & mel.*
n. 11. *Labia eius distillant scientiam* boni, sci-
entiam salutis æternæ. *Verba eius,*
15. *verba vitæ.* Præibant JESV servi
ejus Prophetæ, præibant viri DEI
ad populum DEI, sed *nunquam &*
nusquam sic locutus est homo, sicut lo-
quitur DEUS Homo factus, JESUS.
Quicunque eum semel cordis aure au-
dierunt, in semper illi, magno suo,
æternoque bono, in semper adhæse-
runt. Illorum vox est: *Quo ibimus,*
verba vitæ, & quidem non hujus tran-
sitoriæ, sed *vitæ æternæ habes?*

Manus eius plenæ hyacinthis; omni-
16. genorum puta donorum cœlestium.
Quidquid volupe tibi est habere,
hic invenies.

Vidisti Ducem tuum, Summum
17. Imperatorem JESVM, jamne seriò
tandem aliquando adamasti? excla-
ma cum D. Augustino: *Serò te co-*
gnovi, serò te amavi Pulchritudo tam an-
tiqua! Tandem collecto de o-
mni-

mnibus animo, auſculta concionem
Chriſti Ducis tui exhortatoriam, ad 18.
ſuos electos, Apoſtolos, Diſcipulos,
ad ſervos, & amicos ſuos, in hoc
opus deſtinatos, ut omni hominum
generi & conditioni, doctrinam suā
ſalutiferam impertiant. Viden hic
finem Apoſtolicæ vocationis?
Accipe ulteriora; *Chriſtus IESVS*
Verbum abbreviatum, brevibus omnia
ſic complectitur. *Sicut miſit me Pa-*
ter, ita & ego, Paterno affectu, *mitto* 19.
vos; *oves*, etiam *inter lupos*. adver-
te tyrannus ille, immittit univerſo
leones, vrſos, canes qui lanient, di-
ripiant, devorent oves; Rex Domi-
nus noſter JESVS, oves de ſub ſuo
vexillo mittit, qui feritatem leonū
pervincant, luporum rabiem eva-
ſtent. *Euntes docete omnes gen-*
tes. Non docet, ſed ſeducit cohors 20.
tyranni; non tamē, quæ DEI gratia
eſt, omnes, ſed incautos illaqueat.
Delectus JESV, Apoſtoli Miſſio-
narii, docent omnes DEI docibiles,
& in omnem, Doctore ad intra Spi-
ritu

ritu Sancto, inducunt veritatem.
21. *Nihil tuleritis in via*, tam manu a-
vidâ, quàm animo concupiscente.
parum est sub vexillo Christi nihil
habere in manu, si aliquid in concu-
piscente circumfertur animo. expe-
de. *Pauperes spiritu*, exemplo prius
vestro, tum verbo docturi, ut etiam
illi, *qui utuntur hoc mundo, tanquam
non utantur. Omnibus omnia facti*,
22. debitores, politis & barbaris, *Evan-
gelium*, bonum scilicet salutis nunti-
um, *prædicate omni creaturæ.* nec pu-
siones, nec pauperes hîc aspernari
conceditur. *Cùm autem omnia fece-
ritis, quæ præcipio vobis*, extra omnem
ambitum honoris, *dicite; servi inuti-*
23. *les sumus.* Et sic in lucra animarũ
*negotiemini, donec venio. In hoc co-
gnoscent omnes, quia Discipuli mei estis,
si sermonem meum servaveritis, & do-
cueritis quæcunque præcepi vobis.*
Hæc Verbum abbreviatum suis Di-
scipulis. Quid illi? hoc, quod
D. Lucas ait: Jussu sui Ducis, *Egressi*
ibant

ibant per castella, oppida, vicos, evangelisantes, non prurientes auribus, expende, *& curantes ubiq́;*, sicut injunctum est illis, *languores in spiritu curare*, (expende) *& sanare etiam in sanitate infirmos, datâ virtute super omnia dæmonia.* Gratulare privilegia Apostolicis Missionariis data. Similia tibi pollicere, tantùm vide; *Vade* etiam tu, nuspiam in via D E I subsistens, & *fac similiter* sub vexillo Christi. 24.

Puncto III. Semel exosus tyrannũ, ut Regi tuo JESV in semper adhæreas, audi tam asseclas tyranni, quàm electos Regis tui JESV, quid tandẽ vtriq́; ad exitum suæ viæ, & vitæ sentiant temporaneæ. Illorum qui Luciferi signa erant secuti, vox est: *Nos insensati. Ignoravimus quæ sit via spiritûs. Ambulavimus in via cordis nostri. Erravimus à via veritatis. Ambulavimus vias diffisiles. Viam autem Domini ignoravimus.* vera, sed non ad pœnitentiam salutarem, quia sera vox. *Viam peccandi dedit nobis tyrannus.* 25. Eccl: 16. & 11. Sap. 5. Eccl: 47.

nus. *Lassati sumus in via iniquitatis, Ergo erravimus.* ita miseri, errâstis; quia ebrii sapientiâ mundi, viam cordis vestri tenuistis. perge audire ultra. *Odimus increpantes, morimur! Infernus & perditio nostra, coram Domino DEO Iusto Iudice.* hoc demum est non apprehendisse disciplinam, est tandem perire sub ira Domini. Hæc assectarum tyranni vox.

26. Electos DEI, JESV Regi ejusq; vexillo inauguratos, aves audire? hæc eorum longè à prima dispar vox est. *In Domo DEI*, in Ecclesia eius, *ambulavimus cum consensu* quoad omnes & singulos proximos; superiores, æquales, inferiores. similem tene passum.

In atriis Domûs DEI nostri, domûs cœli vicinioris, *stetimus* firmo de gratia ejus vestigio. vide & tu stare velis. *In noctibus* adversitatum, tot &

27. tantarum, animo per spem sanctiorem erecto, non abjecti, cœlo priùs attollebamus, tum *extollebamus*

ma-

manus noſtras in ſancta opera, prioribus magis heroica, *benedicebamusq́ Dominum, cuius nomen invocatum eſt ſuper nos.* gratus agnoſce beneficiū ſimile tibi collatum. *Vbi erat ſpiritûs impetus*, hominem interiorem dirigens, *illuc* etiam ſecundùm hominem exteriorem, *gradiebamur.*

Ibamus non latâ & ſpatioſâ perditionis *viâ*, ſed *de virtute in virtutem, arctâ juſtorum ſemitâ, quæ tanquam lux ſplendeſcebat in oculis mentis.* & ecce *crevit* noſtro ſolatio, poſt tot nubila contriſtationum, *ad perfectam*, nunquā deſituram *æternitatis diem. In qua videbitur* jam nobis facie ad faciem, idq́ in æternum, DEVS *Deorū in Sion.* 28.

Placet electorum vox? vita eorū 29.
neceſſe eſt placeat prius. Recogitata ſecundùm apices ediſce, quæ transferas in opera, & nullus dubita, quia ad exitum vitæ, ultimam ſub cœlo vocem habebis electorum: & quorū veſtigia tenebas in via, eorum beatitudinem conſequeris in patria.

Collo-

Colloquium ad mentem S. Patris
inſtitue triplex. 1mum. Ad Beatiſſi-
mam, ut ſuo Filio, omnium univer-
ſaliter Regi DEO, te commendare
non dedignetur, hoc colloquium ter-
30. minetur per Ave MARIA.

2dum. Ad JESVM Regem Tuū, ut qui te ſub ſua adlegit ſigna, & nomen tuum, ſuo ſub nomine, in manibus deſcripſit ſuis; ſecundùm verbū ſuū, in quo S. Patri ſpē ſalvandorum in Societate dedit; & tibi ſit propitius. hoc colloquiū terminetur per Anima Chriſti ſanctifica me.

Colloquium 3tium. Ad Patrem Æternum inſtituatur, ut qui ad exordia Societatis, illam ſuo Filio commendavit, & te in Societate viventem paternè commendare non abnuat. terminetur hoc colloquium, per Pater noſter.

Propoſitum practicum. Electorum ſub IESV vexillo perpetuanda imitatio

Si placet aſſumere aliam teſſeram hæc ſit. *Dominus meus! DEVS meus! Rex meus! IESVS meus!*

REFLEXIO
Ad vestigia Regis IESV tenenda, sub ejus vexillo, advertet.

1. VExillum Regis JESV adamare, bonum est, hoc sub vexillo JESVM sequi velle, meliùs est. Actu JESUM sequi, optimum est. At sequi & non consequi Christum, nihil periculosius est. Si tantillũ te ad hæc reflectis, veritatem in liquido habes. Ubi sequor *Christum*, si non cum Christo, saltẽ ponè Christũ sum. At si meo vitio vel ultimo viæ passu non consequor Christum, qui *vita est*; terram viventium non ingredior; & sine *Christo*, infelix maneo in morte. Hîc si periculum non advertis, anima tua, inexpectatâ metamorphosi, vix non in talpã trãsivit.

2. Bene Divus Bernardus, per vestigia JESV ingressos viam DEI, submonet de eorum periculo solicitus: *Quid prodest Christum sequi, si non contingat consequi?* Secutus JE-

SVM etiam Iſcariotes, quia non conſecutus, æternùm periit miſer. & nihil illi profuit ſequi, cui ſuo vitio, non contigit conſequi Chriſtum. Connitere ſic JESVM ſuo ſub vexillo ſequi, ut tandem conſequaris. & tuam hîc & nunc in anima tua vide ſequelam Chriſti.

Fors in JESV ſequendo tepeſcis? Vide ne tandem totus elangueas! Fors etiam à veſtigiis ejus, ab exemplis vitæ illius exerras! Time tibi nedum Hieroſolymam tendere velis, in Babilone te reperias, aut quod infeliciùs eſt in Babilone pereas. time.

3. DEO Duce, Moyſen ſuum ſecutus populus DEI, egreſſus ex Ægypto; quia corpore, vel paſſu corporeo in terram promiſſionis tendebat, animo autem, aut ſaltem guſtu & reguſtu imaginario, in Ægyptum redibat, variis mortibus in deſerto conſumptus, terram promiſſionis lacte & melle fluentem, ſibi à DEO promiſſam, ſuis reliquit natis, ipſe non ingreſſus.

4.

4. Habes cœlitus tibi ordinatum, quem in via religiosa pro Moyse, Patriarcham sequaris, ipso Duce JESV, cujus *nomen super nos invocatū est.*

Pro Ægypto, malignum sæculi, in quo mundus positus est, reliquisti. Si tamen gustu aut regustu imaginario, rebus nudo, redis ad sæculum, time, ne si non deterius aliquid, saltem simile tibi quid contingat, quod contigit olim populo DEI.

5. Non erat in oculis Ægyptus, subiit tantùm memoriam populi DEI; excitavit ad Ægyptiaca gustū, & murmur vocis: *Sedebamus supra ollas carnium* in Ægypto. *Pisces comedebamus gratis, pepones, cepe & allia.* O absurdas gastrimargiæ voces. Hic nudus prædictorum omnium gustus, aut regustus imaginarius Ægypti, gustū cœlestiū in populo DEI adobruit, corrupit palatum ad Divina, tandē mortibus involvit variis, cœlo desipientes. 6. Alieno volumus vivere cautiores periculo? non satis

sit

ſit nobis pro Ægypto ſæculum reliquiſſe, ſed neceſſe eſt, ut totum illud cum ſuis lautiis noſtro deſipiat palato, nec unquam ad guſtum vel reguſtum redeat etiam imaginariū. Vnus DEVS, ſolus DEVS, ſola ſapiant Divina, ne offocetur guſtus cœleſtium; guſtus eorum, quæ Chriſtus adamaverat, ut Chriſtum ſequamur propiùs, ut tandem conſequamur in termino viæ.

7. Chriſtus adamaverat opprobria, contemptus, cruces, mortem. & ab omnibus illis, quæ amat mundus, abhorrebat. illa & noſtro ut abblandiantur palato, condiſcamus.

Lege tuam hâc de re legem undecimam ſummarii de guſtu ſæculi omnino excludendo, & in ejus locū adlegendo guſtu Chriſti. Vide an jam reducta ſit, & cura ut tandem plenè reducatur ad praxim toties lecta, toties audita lex & intellecta.

8. Concluſit S. Apoſt: de ſequentibus nonniſi apparenter Chriſtū: *Qu*

ſpiri-

spiritū Christi non habet, hic non est ejus. Expende, & tuum examina spiritum, cogitaq́. Qui gustum Christi non habet, quomodo ejus spiritum habebit? Spiritu Christi vivebat, spirabatq́, prima & maxima Apostolica JESV Societas; quia in adversis, in contumeliis, in crucibus, in mortibus ipsis, gustum planè Christi habebat. hinc de illis legitur, *Ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii, quia digni erant pro Nomine I E S V contumeliam pati.*

9. Prædicta omnia in unū collige compendium. Ad sequi & consequi Christum, parum est, agnoscere Regem Christum. parum est nôsse vexillum JESV Regis; parū est movere pedem, parū & facere ad ulteriora passū in via Christi. omnino necessum est, Spiritum Christi habere, sequendo Christum. Ut Spiritum Christi habeā, necesse est gustum Christi JESV habere, excluso totaliter omniūm omnino mundanorum, & totius mundi gustu.

10. Quomodo enim, qui gustum eorum habet quæ mundi sunt, nec eum exclusit, quomodo gustum habebit Christi? *Non est conventio Christi ad Belial*, ait S. Apostolus. Infer. Non est conventio gustûs Christi, ad gustum, tantò magis ad reassumptum regustum mundi? Qui non omnino abhorret ab iis, quæ mundus amat, quomodo exclusit gustũ mundi? Qui tantùm ex parte, mundana horret, quomodo omnino abhorret ab iis, quæ mundo sunt in amoribus? Qui vix, aut fortè ne vix ex parte nauseat super ea, quæ sæculi sunt; quomodo totis viribus, quod ad sequelam Christi exigit Sanctus Pater, concupiscet quod Christus Dominus noster amavit & amplexus est? Qui non totis concupiscet viribus ea, quæ Christus Dominus exemplo nostro adamavit & amplexus est, quomodo secundùm gustũ Christi vivet! Qui secundùm gustum Christi non vivet, quomodo

do in Spiritu Christi, in via Christi proficiet? Qui in via Christi, Spiritu Christi non proficiet, quomodo Spiritum Christi habebit? Qui Spiritum Christi non habebit, ad apparentiam tantùm ejus; quomodo reapse Christi erit? Qui ad apparentiam Christum sequendo, ejus ad apparentiam erit, quomodo tandem Christum consequetur? Qui sequendo non consequetur Christum, quid illi proderit, nôsse vexillum Christi? quid proderit sanctiori militiæ sub vexillo Regis Christi nomen inaugurâsse? quid proderit tantillum sequi vexillum Christi? Ab ultimo ergo ad primum, si sequi & non consequi Christum, nihil prodest; omnino necessum est, Spiritum Christi habere ad sequendum & consequendum Christum, necesse est gustum habere, & quodammodo palatum Christi, excluso omni mundanorum gustu. Quod S. Apostolus etiam in sæculo viventibus præscri-

bit, dum ait: *Qui utuntur hoc mundo, sint tanquā non utentes*; ut assimilati Christo secundùm gustum & Spiritū ejus, ita eum sequamur in via, ut tandē feliciter consequamur in Patria.

Inductionem è domesticis exemplis, huic veritati probandæ, hic ponere, supervacaneum est. Omnes illi, quos triumphans Societas è militante collegit; prædictam probant veritatem. ab ipso minimæ Societatis IESV Capite, à Divinissimo Patre nostro, incipe tuo in animo inductionem; & in illo, quem tuo sub oculo vidisti probitate religiosâ excellere, desine; jam palpabis veritatem.

CONDISTINCTIO
Christo militantium.
SEU MEDITATIO
De tribus hominum classibus.

HÆc in Exercitiis S. Patris in 4tum destinatur diē hebdomadæ 2dæ. In ea, diligenter relecta, advertes, quòd formata sit in materia assumpta

pta

pta etiam hominibus sæcularibus communi, idque propterea, quia S. Pater pro suo secundùm scientiam Sancti Spiritûs zelo, omnibus fieri omnia, & omnibus, plus quàm aureo exercitiorum suorum libello voluit prodesse. Pater Lancicius eandem meditationem, servando methodum Sancti Patris, in materia Religiosis propria, sic formavit.

Primam, (Infimam dixeris, bono vix nomine dignam,) classem, posuit eorum, qui in religione præter habitum & cerimonias exteriores, & actus, quos obeunt in oculis aliorum, nihil plus curant.

Secundam eorum, qui primis aliquantulò meliores, vota sua & regulas ut cunque servant; sed nec omnes, nec cum requisita perfectione, vivuntque tepidi, & magis de applausu hominum, quàm de sua perfectione, ad quam obligantur, soliciti.

Tertiam ponit classem eorum, qui solicitè conantur, vivere sine de-

fectibus classium prædictarum, semper in oculis habendo finem, ob quem vocati sunt ad religionem; omnia, etiam minima, accuratissimè usurpando media, ad perfectionem consequendam. Apud prædictum magnum ascetam in recollectionibus octiduanis est hæc Meditatio 25ta.

Mihi singulæ tres classes videntur ænigmaticè adumbratæ apud Isaiam Prophetam; ex quo

Ad ideam à S. Patre acceptam, sic potest institui

MEDITATIO

De tribus hominum classibus.

1. PRimæ classis, nec ad infimam cœli, homines promovēdi, sunt viri sterilium ex sua parte desideriorum, his adumbrati, *Principes Mempheos*, vel *cribri emarcuerunt*. 2do Secundæ classis *Principes Taneos*, vel motûs *stulti facti*, qui majora pervicêre pro DEO: minora necessariò pervincenda negligunt. 3tio Tertiæ classis, Illi, qui DEO sunt *Hæreditas æterna*.

Oratio præparatoria solita.

Præludio II. Imaginare quod ad

classes

classes hominum dignoscendas S. Pater illa suggerat Prophetæ verba; quasi ænigmatica. *Emarcuerunt Principes Mempheos, stulti facti sunt Principes Taneos. Hæreditas mea Israël.* Isaiæ 19. v. 13.

Præludio II. Petatur auxilium efficax, his fructuosè expendendis.

Puncto I. Cogita. Quia prima hominum, planè cœlo inutilium classis, in solo subsistens secundùm S. Patrem desiderio, cæteroqui rerum sterili, exprimatur apud Prophetã his verbis: *Emarcuerunt Principes Mempheos.* Ugo Cardinalis ex Sancto Hieronymo legit: *Emarcuerunt Principes cribri.* Iam expende. quid nuda & rerum sterilia desideria sunt? merum cribrum? Quid sterilium viri desideriorum, sive suis desideriis, ad mala evitanda, sive ad bona facienda, flagrent; quid sunt? certè non plus quàm Principes cribri. Nemo unus aut lacunas malè olidas evacuare, aut de sibi cupito liquore 1. 2. 3.

haurire poteſt quidquam cribro. Nemo unus ſolis deſideriis, aut malè actam corrigit; aut meliorem inſtituit vitam. Ad utrumq; facto opus eſt, ſolum non ſufficit deſideriū.

Facienti quod in ſe eſt, DEVS
4. non denegat gratiā. Hæc maxima apud omnes Aſcetas obtinuit veritatē. non obtinebit hæc: meris flagranti deſideriis, & cùm poſſit facere aliquid, facienti nihil, datur gratia. Deſiderium nudum, ipſiſſimū eſt cribrum.

Cribrum quantumvis immergatur pretioſo & odorifero liquori, uſq; ad imum fundi; elevatum, inde efferet
5. nihil. Madefieri tantillum, tantillum odoris contrahere poteſt. Totum illud, quòd è vaſe levari videbatur, rurſum deſluet in dolium, cribrum autem deſiccatum, & bonum pretioſi liquoris odorē, mox amittet.

Idem ferè per analogiam ſentias
6. de viris, liceat ſic loqui, *optativis*, qui omnia ſibi optant bona, ad illa

autem

autem consequenda, & cùm possint faciunt nihil. Extendant hi in speciem sancta, sed rerum vacua desideria, sub ipsos cœlos, protendant ad cœlites, & similes evadant Sanctorum desideriis, similitudine sine factis claudicante: si non progrediuntur, dũ possunt progredi, ad opus bonum desideratum; de profectu in via DEI, via perfectionis, via salutis, nihil habebunt; planè *Principes Mempheos*, Principes cribri emarcescent: & qui videbantur, in ardore bonorum desideriorũ, sibi *bonus* esse 7.
odor Christi, etiam ipsum nomen bonum, boni odoris amittent, ac in suis quantumlibet ad speciem bonis cogitationibus, evanescent, si solo bonorum desiderio sint contenti. Timendum insuper his sterilium viris desideriorum, nè propè perditionem accedant, juxta illud: *Desideria occidunt pigrum*. Proverb. 21. n. 25.

8. At Daniel vir desideriorum, & tamen Sanctus? Ita est, quia Daniel

vir non ſterilium deſideriorum. Lege eius vitam, rem comperies.

At ſcriptum eſt: *Deſideria pauperum* in factis *exaudit DEVS*? non ita eſt, malè additum Ly in factis. ſed ſic ſcriptum eſt: *Deſideria pauperum exaudit DEVS*. hoc eſt. ſi deſideria non poſſunt in facta educi, & deſiderantes, in ſola bona voluntate vix non violentè conquieſcere debent: tum in his circumſtantiis, non
9. ſine merito ſunt deſideria; juxta illud D. Auguſtini: *DEVS coronat voluntatem, ubi non invenit facultatem.*

Audin? quæ deſideria ſine factis placent DEO? cæterum qui ultra bona deſideria poteſt, & renuit progredi, ad bona deſiderata facienda, næ tu mihi crede, erit *Princeps Mempheos*, Princeps cribri, omnibus ſuis deſideriis nihil unquã lucrabitur, emarceſcet in ſpiritu, & ad infimam hominum, DEO & ſuæ ſaluti inuti-
10. lium, dejicietur. Vide ne in hac claſſe inveniaris, quæ apud cœlites

certè

certè nec infimum habet sui pretiũ.

Puncto II. S. Pater 2dam classem hominum eam ponit, quæ affectum 11.
ad rem illicitè acquisitam, exuere omnino cupit, ut reconcilietur DEO; rem tamen mordicus tenet. Infelix & stultorum classis, qui magno intus motu, ex animo affectum exturbare volunt; rem autem, quam facili negotio possunt, è manibus protrudere nolunt. His interim re- 12.
lictis, intuere in domibus religiosis *Principes Taneos*, vel secundùm Divũ Hieronymum Principes motûs, quibus addit Propheta: *stulti facti sunt Principes Taneos.* Illi sunt hac in classe religiosi, planè *Principes Taneos facti stulti*; qui privilegio suarum familiarum, tantùm non in serico nati; ad primam vel alteram inspirationẽ DEI, ex holosericis, in quibus adolescebant, evoluti; aurum, quod gibbos cameli excrescebat, & supercrescebat, exosi; omnia, quæ mundi, pertæsi, magno suorum motu, è sæculo

convolârunt ad pauperem Christum in hoc vel illo ordine religioso.

Postmodum autem sine tantillo
13. serici filo, quod sartor acu trajiciat in vestem, nullo modo volunt quieti vivere; & tantillum peculiolum, quod comparatè ad relicta in mundo, vix aliquot assium proportionē habet, mordicus tenent, contra beneplacitum DEI, Superiorum voluntatem, & suæ perfectionis obligationem, remurmurante etiam conscientiâ. Quid aliud de his veriùs cogitetur, quàm hoc: *Principes Taneos stulti facti sunt*, *Principes motûs*, qui magno motu è sæculo abibant, extra sæculum autem sub lege DEI, & sui instituti, exleges vivendo, *stulti facti sunt*, cœlo desipiunt, nec cœlitum imitantur sapientiam. S. Ephrē, hos *Principes Taneos*, *stultos* suo vitio effectos, Turpilios diceret. qui super illa verba. *Attende tibi*, hæc habet: *Turpe est, eos qui sibi maxima subjecerunt, à vilioribus vinci.* In hos Tur-
14.
pilios,

pilios, pridem à D. Basilio illud improperium jactum, quod etiam num Ecclesia DEI audit: *Et Senatorem perdidisti, & te Monachum non fecisti.* Cave, maximè cave, hanc multis improperiis dignam classem Principum Tanreos vel motûs, nè infinito stultorum numero accedas.

Puncto III. Tandem vide tertiam classem. Hæc est secundùm S. Patrẽ, 15.
quæ & vitiatum affectum ad res exuit, & rem ipsam vel tollere, vel retinere parata est, prout ad Divinum cultum commodiùs fore, vel ex Divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit; interim omnia & singula relinquens integra, uni beneplacito DEI, & secundùm informationem Apostoli, utitur mundo, tanquam non utatur. Ad hanc classem communiter omnes eniti debent, quicunq; clausis in mortem oculis, avent nomina sua libro vitæ inscripta, inventaq; legere.

Religiosos ad tertiam spectantes 16.
clas-

classem nôsse desideras? Licet eos intueri, modò libeat imitari. Illi huc spectant, qui semel ingressi viam DEI, in semper *obliti eorum, quæ retro sunt relicta, ad anteriora* se per Apostolica Sanctorum Patrum suorũ *extendunt* vestigia, heroicis virtutum passibus. nihilq; parvum existimando, quod Magno placet DEO, ajunt; *Filii Sanctorum sumus*: non degeneremus. Illi sunt hic, qui *bonam militando militiam*, nullis cedunt adversis; singuliq; ex imperio sui Ducis JESV crucem suam pro armis ferunt: singuli animati illo IESV verbo: *Confidite, ego vici mundum*; non priùs victoriosè præliari, quàm vi-
17. vere desinunt. Illi sunt in hac classe, qui unum velle, unum nolle, cum DEO IESV habent; quibus omnibus, unius S. Episcopi nomen, quasi 4to modo proprium esse videtur, *Quod vult DEVS.* Illi sunt, quorum *oculi semper sunt ad Dominũ,*
18. *quem provident in conspectu suo.* Illi

sunt,

sunt, quibus toto coram cœlo gloriatur DEVS: *Servus meus es tu Israël, in te gloriabor.* meus, non carnis; meus, non Principis mundi, aut Sathanæ; *Servus es Israël*, DEVM videns, ad DEI visionem electus; *in te gloriabor*, cui major Gloria DEI, in corde, ore & opere; in anima & manu fuit, & est continua. Illi huius supremæ classis sunt Religiosi, quorũ 19.
singulos adhuc *in carne, non secundùm carnem militantes*, Ecclesiæ triumphanti, magno suo cum gustu ostendit intuendos DEVS, dum de singulis ait: *Ecce servus meus, electus* Isaiæ 42 n. 1.
meus, cõplacuit sibi in illo anima mea &c. Verbo, Classis hæc religiosorũ probatissima cœlo, placitissima DEO; post Principes Mempheos emarcidos, post Principes Taneos stultitiæ notatos, hoc expressa est per Prophetam verbo, nomine DEI prolato: *Hereditas mea Israël.* peroptas & tu Isaiæ 19.
ad hanc promoveri classem? vide, similia feceris.

In tertium *olim cœlum vel paradisũ?* 2 Corint: 12.

de via vitæ præsentis raptus, S. Apostolus *audivit arcana*. Tertiam S.
20. Patre Duce classem, si cum auxiliis DEI adscendis, similem sub cœlo prægustabis felicitatem; ac in Societate IESV militante, tanquam in paradiso viventi, DEVS tuus similia illis arcana, quæ Paulus audivit, ad cor loquetur, ut tibi sufficiat gratia eius, in omnia & singula salutis opera. Complace tibi in hac classe, velisq; meliora eius charismata æmulari, ut possis,

Colloquium institue ad *Divinissimam DEIParam Virginem*, sine labe originali Conceptam, quæ primo passu, super universam Ecclesiæ tam militantis, quam triumphantis hierarchiam; super omnes itidem Angelorum choros, gradum fecit; ut Virgineo-Materno suo ductu, te in tertiam, sub vexillo IESV militantium, classem, feliciter educat; ac eductum gratiâ efficaci à Filio suo impetratâ, faciat confirmari.

Pro-

Propofitum Practicum. Indefinenter meliora æmulari charífmata.

D. Auguftinus in Manuali c. 26. n. 3. de VERBO Incarnato hæc ad noftram eruditionem confignavit. *DEVS factus eft Homo, ut utrumq; fenfus hominis in ipfo beatificaretur, & reficeretur: oculus cordis in eiusdem Divinitate, & oculus corporis in eius Humanitate.* adde & ut DEI Hominis Magifterio erudiretur homo. proinde aliquid omnino neceffarium de hoc Magifterio edifcendum, in via DEI proficientibus.

MAGISTERIUM à CORDE, IESU Lectioni, ad fuos docibiles, inclufum.

Difcite à me quia mitis fum & humilis corde. Matt: II v. 29.

PRinceps utraq; virtus eft, quam edifcere jubemur, qui docibiles IESV vivere volumus; Manfvetudo fcilicet & Humilitas. vtraq; placitiffi-

tissima; vtraq; intimo cordis IESV recepta. de prima quæ est,

FUNDAMENTUM
Ipsius fundamentalis virtutis.
SEU MEDITATIO
De Mansvetudine.

1. IN principiis IESV, Unius omnium Magistri, humilitatis ipsius, virtutis fundamentalis, Mansvetudo est fundamentum, sine processu in infinitum. 2do. Quæ definitive est, *Virtus moderativa interioris passionis iræ.* 3tio. Et præparat hominem ad cognitionem DEI, removendo impedimenta.

Oratio præparatoria solita

Præludio I. Jussu S. Patris accipe de ore ipsius Christi Domini, in qua proficias, lectionem. *Discite â me quia mitis sum corde.* Matth: 11.

Præludio II. Solitò magis petatur gratia, ediscendæ Christi Dñi lectioni, de ipso cordis Deificati magisterio acceptæ.

1. *Puncto I.* Cogita quia toto ferè cœlo errat, qui contra principia Christi, prius alias, quàm Mansvetudinem,

dinem, vult ſuo labore, implantare animo ſuo virtutes. Verum id quidem eſt, quia Humilitas communi aſcetarum ſenſu, eſt immediatum fundamentum virtutum: at etiam hoc, plus quam verum, è doctrina Chriſti, qui unus noſter Magiſter eſt omnigenæ perfectionis; quia ipſius etiam Humilitatis, primò primum, fundamentum *Manſvetudo cordis*; idq; ſine proceſſu in infinitum. quia ſic eſt fundamentum omnibus etiã virtutibus ultimatũ. quod hinc adverte.

2. Fundamenta ædificii erigendi, murata v.g. ſunt è vero fundamenta immediata ſuperſtructionum, in altum aſſurgentium: cæterum ipſis fundamentis muratis, foditur & quæritur ſolida terra in ultimatum fundamentũ. Arena; ſcaturigo aquæ, paludes uliginoſæ, terra motui obnoxia, non ſunt apta fundamentum eſſe, fundamentis ædificii muratis. Elevetur ædificium; ubi non ſolida ſuſtentat primum lapidem jactum ter-

ra; ruet indubiè tota illa superstructa moles ædificii.

3. Simile quid cogita de perfectionis turri, Christianis & Religiosis erigenda. si fundamentum, ipsi humilitati non supponis mansvetudinē cordis, estò humilitas putetur acquisita, & aliæ videantur assurgere, super humilitatem, virtutes in ædificium sanctitatis: totū id vix modico stabit tēpori, non durabit æternitati, sed corruet. vnde monet Christus fundamentalissimæ virtutis humilitatis, fundamentū esse ultimatū, mānsvetudinem cordis. Estne tibi curæ?

4. Hoc & ante adventum Magistri Christi, Ecclesiasticus cælitus inspiratus docuit, ubi ait *Beneplacitum*
c. 1. v. 35. *DEO, Fides & Mansvetudo.* vt discamus, quia sicut fides est fundamentū virtutum Theologicarum, & habituum supernaturalium; sic mansvetudo est ultimatum, adeòq; primo primum fundamentum, omnium virtu-
ad Hebr. tum moralium. *sine fide impossibile est*
11. v. 6. *place-*

placere DEO ait Apoſtolus, ſine manſvetudine cordis, vix poſſibile eſt, aut acquirere virtutes morales, aut in acquiſitis aliquibus, conſtare ſibi vel perennare. hoc dicit Chriſtus, qui manſvetudinem cordis prius ante alias virtutes ediſcendam ponit.

Stude igitur inprimis manſvetudini: quod jubet Chriſtus.

Puncto II. Vis nôſſe manſvetudinem cordis? ſic illam Doctor Angelicus definit. *Manſvetudo eſt virtus moderativa interioris paſſionis iræ, ſicut clementia exterioris.* Cogita his acceptis: quia certè parū proficimus, ſi ſola curamus exteriora; parum eſt moderari exteriorē, niſi, & quidē pro principali, interiorē modereris iram. 5. 2. 2dæ. Q. 157. a. 1.

Tacere ore, bacchari per indignationē corde: lingvā ſilentē; affectus paſſionatos, plusquā eloquētes habere, pro nihilo eſt in Schola Chriſti: qui manſvetudinē non qualēqualē, ſed ſuo exemplo, jubet nos addiſcere manſvetudinem cordis. *Diſcite à me* 6.

quia

quia mitis sum corde: ut omnino interius moderemur passionem iræ, quæ tam nos intra nos, quàm alios extra nos perturbat.

Repetito expende. Nihil in terra motibus obnoxia, stabiliter fun-
7. datur. nihil in homine iræ interiori obnoxio, & per eam facilè mobili, speres de perfectione vel inchoata processurum, vel etiam majori parte quasi solidata, perennaturum. Necesse est, qui sequi & consequi desiderat JESVM, omnino discat corde mitis esse exemplo illius, & mansvetus evadat.

Iam vide, mansvetudinē Christi. Quas nō tulit in vita calumnias? fili-
8. us fabri, per opprobriū dicebatur in prima ætate; in ulteriori, cū peccatoribus mādacās incusabatur. Vini potator, & in Beelzebub operari, traducebatur: pluraq; alia similia cogita. nullibi tamen ad interiorem iræ passionem commotior. redi ad præsepe illius; illinc usq; ad crucem: à Be-

à Bethleem usq; ad Golgothã Ierosolimæ: relege memoriâ illius vitæ vestigia, passionem ejus revolve universam: reflecte te ad omnia improperia, opprobria, illusiones, omnia tormentorum genera: nunquam & nusquam commotiorem invenies in animo JESUM, qui mitis corde, ubicunq; loqui contigit, meras de labiis destillabat suavitates. Hanc necessum est, omnino condiscas mansvetudinem à corde JESV Agni: & exemplo Divinissimæ DEIParæ Virginis MARIÆ, quæ tanquam Ovis mitissima vixit.

Voles aliis mansveta loqui verba, qui non es in animo mitis; frustra id attentabis. qui nec gustavit rosas, allium autem pleno sumpsit ore, non rosas sed allium ructabit; qui fel intus habet, non poterit ab imo animi, mellea aliis propinare verba. Vide omnino sis in omnibus corde mitis. Monet id, monuitq; ante Messiæ adventũ Ecclesiasticus, c. 3 n. 19.

ubi

ubi ait: *Fili in mansvetudine perfice*
10. *opera tua: & super hominum gloriam diligeris.* Omnium vis lucrari animos, & unus apud omnes evadere Gratianus? corde mitis esto: sic in mansvetudine tua perficies opera? (aliàs non) sic super alios homines, sic diligeris & super humanam gloriam, quæ maximè cordi est, diligiturꝗ hominibus.

Puncto III. Expende, quod ulti-
11. mum est, pulchros multumꝗ necessarios mansvetudinis cordialis, effectus, aut fructus; quos recenset Divus Thomas Aquinas loco citato. *Mansvetudo* ait ille *præparat hominem ad cognitionem DEI, removendo impedimentum dupliciter.*

1mo. Faciendo hominem compotem sui, per diminutionem iræ; quæ ira,
12. etiam secundùm Senecam, cùm sit furor brevis, certè subvertit sanum hominis sensum. *alio modo, quòd homo mansvetus non contradicat veritati: hoc enim plerumꝗ fit ex commotione iræ.*

iræ. hactenus ferè Sanctus Doctor.

Christus ait; *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te DEVM, & quem misisti* 13.
IESVM Christum. nullus dubito, quia percupis vitam æternam; ad hanc vides non aliud medium destinatum ab ipsa veritate Æterna, præter cognitionem DEI. Vis nôsse, quantū homini in via vitæ possibile est, DEVM? mitis esto corde; aliàs certò non cognosces: quia si carueris māsvetudine (secundū D. Thomā) etiā præparationem ad cognitionē DEI non habebis.

Adde quod D. Hilarius Cap: 4 in Mathæum ait. *Per mansvetudinem* 14.
mentis nostræ habitat in nobis DEVS. & disce mitis esse corde ut jubet Christus. sic non tantum cognitionem DEI, sed ipsum DEVM in te habebis inhabitantem.

Pro impetrāda māsvetudine cordis, Colloquium institue ad Divinissimam Virginem DEIParam. Secundùm D. Epiphanium oratione de

laudi

laudibus Virginis, Illa dicitur. *Ovis immaculata, quæ peperit Agnum Christū, corde mitissimum.* ipsaq; similis Agno Christo, etiam coram tondente se obmutescenti, totam exegit mansvetissimam vitā. nec time repulsam tuæ justæ petitionis; siquidem & Christus te quoad hanc virtutem de suo exemplo suum vult esse discipulum: & Divinissima DEIPara Virgo MARIA digna est exaudiri pro sua reverentia.

Propositum Practicum. Mansvescere corde & animo.

Tessera docibilium JESV, ad ejus lectionem ediscendam: sic verbis JESV traditur. Discite à me.

vel hæc. Mentis munditia, docibilis est, & tabernaculum Sapientiæ JESV. *D. Laurent: Iustinianus.*

THEANDRICA HUMILITAS,
Residuum Magisterii à corde JESU.
SEU MEDITATIO
De Humilitate Christi.

CHRISTUS cùm nõ haberet à quo hu-
1. miliaretur, seipsũ, ô quantùm humiliavit! 2do. Ut autem posset ab omnibus humiliari quæsivit sanctam exinanitionis industriam, & invenit in forma servi; ô quantùm humiliatus! 3tio, In tota vita sua sanctissima, humillimus corde!

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Audi eum, qui tibi ***vnus Magister est Christus***, hæc docentem: ***Discite à me, quia humilis sum corde.*** Matthæi 1 mo.

Præludio II. Pete gratiam efficacẽ, per quam capax evadas Magisterii IESV, de eius cordiali humilitate.

Puncto I. Supra vidisti in tribus humilitatis gradibus, humanam; hîc
Theandricam videre velis humilita- 1.
tem, in quem finem expende illud, quod magno docibilibus DEI mysterio,

ſterio, Doctor gentium S. Paulus, de humilitate Chriſti conſignavit. *Humiliavit ſemetipſum!* Vide jam quod arcanum eſt. DEVS Homo factus Chriſtus, id quod ab æterno fuit permanſit DEUS · & quod non erat, in tempore aſſumpſit naturam humanam, factus Homo. Homo etiam factus, *Non rapinam arbitratus ſe æqualem eſſe* DEO; in creaturis autem puris, nullum ſibi habuit, nullum potuit habuiſſe æqualẽ, conſequenter nullum habuit, nullum potuit habere, qui ſe humiliaret, niſi ille ipſe voluiſſet ſe humiliâſſe. Vides Theandricam humilitatem Chriſti?

Humilitas ex imitatione Chriſti
2. eſt, ſe humiliare, ſi non habeas qui te humiliet. Vivimus, habemusq; à quibus vel ad meritũ, vel pro demerito noſtro, humiliemur. & fortè pro magno habemus, ſi dum humiliamur impotes ad reſiſtendum, humiles apparemus. & crede hæc non eſt humilitas ad exemplum Chriſti, *qui ſe*

ipſum

ipſum humiliavit. Si nunquam quæſivimus, noſtrâ induſtiâ ſanctiore citra noſtrum demeritum, humiliari; aut ſi nunquam nos ultro, intra & extra, vel in utroq; homine humiliavimus; primum Chriſti virtutum elementum, humilitatem Chriſti, non condidicimus. ex hinc parum nobis ſit, exſpectare humiliari; ſed ſi humilitatem de Chriſti corde ediſcimus, in omnibus nosmetipſos ultro humiliemus, ſaltem ſecundùm illos, quos gloſſa habet gradus humilitatis. 1. Subdere ſe majori. 2 Non præferre ſe æquali. 3. Subdere ſe æquali, nec præferre ſe minori. 3.

Puncto II. Cogita quia DEUS Homo factus, à nullo propter præjacta, (loquar ſic) humiliabilis, non ſatis habuit ad ſuam Theandricam humilitatem, quòd *Semetipſum* ut ait Apoſtolus *humiliaverit*, ſed ulteriùs ad noſtrum exemplum, quæſivit in ſuo conceptu Divino, invenitq; modum, quo ab omnibus, etiam viliſſimis, 4.

humiliari poſſet. mirare, & adora profundiſſimè, JESVM corde humillimum. Expende ultra quantum allaboravit VERBUM CARO FACTUM humilitati noſtris cordibus de ſuo exemplo inferendæ!

Sunt fortè, quantumvis pauci, qui
5. ſemetipſos quandoq; humiliant, non tantùm ore, verùm etiam corde, ut de hoc Chriſti idiomate communicent, *Humiliavit ſemetipſum humilis corde* JESUS. at indubiè longè primis pauciores ſunt, qui ſanctiorem ſuam in eo locent induſtriam, ut ab omnibus aliis indiſcriminatim; Superioribus, æqualibus, inferioribus, amicis & inimicis quibuſcunq;, humiliari poſſint. an non palpabilis hæc veritas eſt? ut tibi ſis teſtis,

Tuam vide, fortè in augmenta
6. meritorum induſtriã animam. Probabiliter invenies, quòd ad humilitatis Chriſti ideam, ſemetipſam aliquando humiliaverit anima tua.

Sed quæſivitne ſaltèm ſemel ſe-

riò, ut humiliaretur ab omnibus? deduxitne inventum modum in praxim? Sicubi, certè in virtutum indeptione vivimus speculativi; contenti nôsse naturam, definitiones virtutum, & modos earum indipiscendarum! 7. ad conquirendas autē, & actu possidendas, vix, aut ne vix quidem manum movemus; quæ speculati sumus, ea non deducendo in praxim. & tamen per omnes Philosophos, Theologos, Ascetasq́ue, certum est, quia *Virtus in actione, seu praxi consistit.* cura praxes virtutū exercere. His expensis redi ad id quod huius puncti est principale. 8.

Vide quem Incarnata Sapientia, in suo conceptu Divino invenit, inventumq́ue usurpavit modum, ut ab omnibus humiliari posset, & humiliaretur. descripsit hunc brevibus Apostolus verbis, ubi ait *Exinanivit semetipsum.* Cautus tamen hoc expendas, transferendo huc, quod olim Propheta de Christo sibi in visione

ostẽso, enũtiavit. *Veré tu es DEVS absconditus.* & secundũ hoc, exinanitionẽ accipe, nõ juxta vulgi acceptionẽ.

Exinanitur id hominibus, quod
9. diminuitur ita, ut tandem ex eo nihil restet residuũ. Non habuit, nec potuit similis exinanitio in Christo habere locũ: sed exinanitio Christi DEI, est absconsio DEI in Christo Homine; nulla autem evacuatio, nulla diminutio perfectionum, aut attributorum DEI.

Perfectiones & attributa DEI,
10. nostro loquendi modo, esse in DEO dicimus: quæ tamen omnia & singula, DEVS ipse sunt. Sic *Sapientia DEI est DEVS Sapiens; Scientia DEI DEVS sciens; Bonitas DEI, Omnipotentia DEI, Dominiũ DEI, ipse DEVS bonus, DEVS Omnipotens, DEVS Dñus,* sic de cæteris. De Christo Sanctus Apostolus ait. *In quo omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ DEI sunt.* idem autem senseris de omnibus attributis DEI in Christo manentibus. Sicut ergo

DEVS

DEUS Homo factus, non desiit esse DEVS, nec potuit exinanire Deitatem, sic nec perfectiones, vel attributa quæ sunt ipse DEUS, exinanire potuit. Exinanitum igitur DEVM JESVM, loquitur S. Apostolus, Absconditum, in natura humana assumpta, DEVM, in qua absconditus DEVS, omnia Deitatis abscondit, ut posset humiliari ab omnibus.

Abscondit in corpore humano circumscriptivè existente, Immensitatem Divinam. Abscondit in natura humana creata, increatæ Deitatis Maiestatem. Abscondit in homine assumpto, qui naturæ gradu inferior est Angelis, infinitatem dignitatis suæ super omnia. Abscondit in limitato quoad omnem agendi modum homine, nullo unquam termino limitatã omnipotentiam suam. Dominium suum Divinum super omnia, summum, necessarium, æternum, absolutum; dominium tam jurisdictionis, quàm proprietatis, abscondit in similitudinem hominum factus, veniens non ministrari sed ministra- 11.

re. *Abscondit hoc totum, quod ab æterno erat Coævus DEO Patri, DEVS Filius; hoc unum propalam esse fecit, quod in tempore dignanter factus est Homo*; ut ab hominibus humiliari posset. *Verè DEVS absconditus*, efficacem suæ humiliationi in suo conceptu Divino invenit modum! Unde omnibus è verò succlamat Apostolus, de omnibus, qui DEVM Christum usq; ad mortem crucis humiliaverunt, *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*! Vnam S. Apostolus in DEO abscondito & quasi exinanito formam servi deprædicat, sub qua latuit: dum ait, *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*! ah quid simile in nobis homuncionibus!

12. Tuas jam vide, exemplo Christi, tuæ humiliationi quæsitas industrias. vide, inventarum quisnam fuerit usus? vide num omnia tua, quæ DEVS & natura, talenta in te congessit, sub unam collegisti formam servi? ut absconditus secundùm omnia, & singu-

ſingula, ſub una forma ſervi latere velles? vives quoad omnia feliciſſimus, ſi hoc unum cum tuo guſtu habebis. Chriſtianus es. diſcipulus Chriſti es. & jam edidiciſſe debuiſti, de exemplo & de verbo Chriſti humilitatem Theandricam Chriſti. 13.
Tot jam annos in Societate Filii DEI JESV vivis, toties repetitum audiſti. *Diſcite à me quia humilis ſum corde*, non tantùm me ipsũ humiliavi à nullo alio humiliabilis, ſed meâ induſtriâ modum quæſivi, inveni, uſurpavi, ut ab omnibus humiliari poſſem uſq; ad mortem & mortem crucis! quid obfuit nè à tantò JESV ipſius exemplo, tam facile, tam ſalutarem, ad humilitatem Theandricam imitandam, hactenus lectionem non edisceres? quando tandem ediſces, ut inter docibiles JESV, cœlo accenſearis? Erubeſce Sidon, ſi nonniſi ſuſtines invitus, & non ultro quæris humiliari, *Nemo invitus bene facit, etiamſi bonum eſt*

quod facit. ait D. Auguſtinus lib. 1. Confeſſ. cap: 12. n. 1.

Puncto III. Intuere jam ſecundùm particularia, Chriſtum corde humilem: *In ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genitus, DEVS de DEO, Lumen de Lumine*; genuiſſima, viva imago Patris, DEI Filius, DEVS Fi-
14. lius, Homo factus, non aliter ſe compellat, quàm *Filius Hominis.* Qui potuit Homo in mundo, forma Regis Regum apparere, & Dominantium Domini; his in fæmore abſconditis, dignatus eſt in forma ſervi vivere, ſuſtinuitq; appellari etiam filius fabri, ut ſe humiliaret & ab aliis humiliari poſſet.

15. Quid ſimile nos habemus? qui tamen & genus, & proavos, & quæ non fecimus ipſi, jactamus! & nec in ſpeciem ſuſtinere volumus, ſi quod ſit nomen contemptibile!

16. Data ſibi encomia repudiabat Chriſtus. audit, *Magiſter bone*: & ait, *Quia me dicis bonum? nemo bonus, niſi*

ſolus

ſolus DEVS. Dilaudatur à doctrina, *Nunquam ſic locutus homo*, *Verba vitæ æternæ habes* : & reſpondet ad hæc, *Doctrina mea non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Qui alios de arrogan- 17.
tia inquærendo accubitu primo arguebat, ultimum ſemper ipſe tenebat recubitum : Natus, inter animalia, in præſepio reponi voluit. vivens, cum peccatoribus, quibus nihil abjectius viliusq; cælo, manducabat. toleravit ſuam ſibi perſtringi Patriam, dum audiit, *A Nazareth poteſt aliquid eſſe boni?* hoc improperium, *Vbi literas didicit?* audiit & ſiluit, moriens inter latrones, de Cruce, Deificatam animam in manus Æterni Patris commendavit: quia corde humilis Chriſtus.

Edidicit hanc à corde Chriſti hu- 18.
militatem, prima & omnium docibilium capaciſſima quoad myſteria DEI Diviniſſima DEIPara Virgo, uno contenta titulo, *Ancilla Domini*, cætoroqui omnium regnorum Regina,

gina, & omnium creaturarum eo ipſo Domina, quia Virgo Mater, DEI JESV omnium Domini.

Hanc Chriſtus humilitatem nobis commendat, dum ait, *Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde.* velimus ediſcere, ſi è diſcipulatu Chriſti excludi nolumus.

Statue ſtatuenda. ſtatuta, ad guſtum DEI JESV Magiſtri tui exequaris.

Colloquium ad illum ipſum inſtitue, ut qui dedit ſpeculativè cognoſcere, & piis affectionibus velle, concedat etiam practicè imitari, & indipiſci ſuam Theandricã humilitatẽ.

Propoſitum Practicum. Seipſum ultro humiliare, & ſanctas induſtrias quærere, ultroneæ humiliationis ab omnibus, & in omnibus, ac ſingulis occaſionibus.

Efficax eſt, inter alias induſtria ad humiliationẽ ſui, Manifeſtatio conſcientiæ, ſuo Patri in Spiritu. Fiat igitur hodie

REFLE-

REFLEXIO
Ad Humilitatem conducens.
De Conſcientia in aperto habenda apud PP. in Spiritu.

Super hæc verba *Væ ſoli, quia cùm ceciderit non habet ſublevantem ſe.* Eccl. 4.

1. *Væ ſoli*, intra ſe abyſſaliter concluſo, *quia cùm vel in peccatum, vel in errorem ceciderit*, lapſu gravi; relapſu autem adhuc graviore; *non habebit qui ſe ſublevet*, ſibi autem ipſe levando, non erit ſatis. expende hæc penetrativè.

2. Nemo unus in creaturis, etiam intellectualibus ſibi ſufficit: ſolus nonniſi DEVS ſibi ſatis; quia ſicut eſt à ſe, & omnia ab illo, ita ſibi ad omnia; ita & aliis omnibus ad omnia ſufficientiſſimus. Omnis enimverò creatura, conſequenter etiã creatura intellectualis, cũ ſit ab alio, & ex ſe hoc ipſo deficiẽs, quia eſt ab alio, non erit ſola ſibi ſufficiens, ſed indigebit alio. Cave ne tibi ſufficiens videaris, abſq; omni omnino recur-

cur-

cursu. Experto hac in re crede D. Augustinô, qui à sapientia Augustini quàm longissimè distas. ait ille, *Nisi quisque adjuvetur à Superiore, nullo modo sibi est idoneus, ut sese tantis miseriarum suarum implicamentis expediat* hactenus *S. Doctor.* l. 1. de serm: Dñi. in monte c. 3.

3. Ais, à DEO sum; DEO & ejus directione in via salutis indigeo non hominibus. Eccur recurram ad hominem! & id quæram per homines, quod possum habere per DEUM? Utiq; sapientes decrevere, *Frustra id fieri per plura, quod potest fieri per pauciora.* Vide an bene philosopheris? an non secundùm *sapientiam mundi, quæ stultitia est apud DEUM.*

4. Qui hoc ratiocinio te concludis intra te, ut nulli hominum te cũ tua conscientia apertum velis; time, ne jã tibi accesserit ille *superbiæ pes*, quem ne sibi accederet, Rex Propheta deprecatus, ubi ait; *Non accedat mihi pes superbiæ, in quo omnes ceci-*

ceciderunt, qui operantur iniquitatem. quod utiq; fide certum

5. Superbiæ est, sibi soli *altum sapere*: & hoc plane est secundùm Apostolum, *sapere non ad sobrietatem*; sed suâ sapientiâ ebrium esse; & quasi ebrium, vel non invenire viã DEI, vel in inventa cespitare, & tandem labi periculosè. Monet autem Sanctus Apostolus. *Non plus sapere velis, quàm oportet sapere.*

6. Israël jam per Moysen edoctus legem DEI, ubi Prophetas qui tunc quasi Patres erant in Spiritu, fastidivit; in suoq; corde conclusus, ac sibi resolutor factus est, mox exerravit à via DEI. Intonat illi per Prophetam DEVS; *Abiit vagus*, tantùm non Caimi, primi super terram vagi vestigia tenens. Vis nôsse quare vagus & exlex dicitur Israël? quia *abiit in via cordis sui*, de qua nihil cum Prophetis, DEUM videntibus, DEUM consulentibus contulit, in se suoq;

con-

conclusus animo, nulli eorum manifestus, quod si & à scita aliàs via DEI exerratur, si quis se sibi sufficere persvasus, alteri sua cordis intenta non manifestat, ut dirigatur: quomodo dubius, cum variis in diversa bona instinctibus intra se luctatus, viam salutis inveniet unam certam, nisi apertam prius fecerit conscientiam luctabundam illi, qui secundùm DEUM se in reliquis dirigere possit?

7. Verum est, quia DEVS se solo potest creaturam intellectualem sufficientissimè dirigere. at etiam illud verum, quia sic intellectuales creaturas ordinavit DEVS, ut aliæ per aliàs immediatè illuminentur, & dirigātur. quæ directio si negligitur, subit discrimen salutis, qui eam negligit. ambisne periculum salutis, omnibus aliis periculis majus?

§ Eleva mentis oculū ad Angelorū hierarchias. Superior illuminat inferiorē, in hierarchiis singulis, ordo inferior illuminatur à Superiore. Acceptasset Lucifer illā à Principe cœlestis

lestis militiæ S. Michäéle Archangelo illuminationem, verbo Angelico, *Quis ut DEVS?* ad alios factam: mansisset eum Angelis lucis. porrò quia superbus, & cum suis sequacibus contempsit dirigi à Sancto Principe cœlitum Michäéle, factus & ipse tenebrio, & ejus sequaces evasere in potestates tenebrarum! Cogita. non Angelus es, certè magis erroribus obnoxius es.

9. Quod si ipsi Angeli, Purissimæ Intelligentiæ, sic dispositi sunt, ut inferior à vicino superiore illuminetur dirigaturq́; quomodo non magis hæc subordinatio, in Religionibus, quoad directionem, ex recursu erit necessaria? Homines jam sub Angelis vide.

10. Samuelem in sæculo legis ad sua DEVS ipse vocavit obseqvia: sed erudiendum remisit ad Heli Sacerdotem, quantumvis oculis caligãtem senecionem, aliorum judicio jã vix utilem populo DEI.

11. Saulum in sæculo gratiæ ut faceret Paulum, ipse DEVS elisit ex illo fastu, quo *ibat spirans minarum & cædium in eius Discipulos*, ipse eum allisit terræ; commonuitq́, ne suos persequendo, se persequeretur. Attamen mox Saulum remisit ad unum è suis discipulis Ananiam, qui vitæ Apostolicæ normâ illum edoceret. Sic DEVS recursum hominum, vult fieri ad homines in rebus salutis.

12. Mihi ais nulla vox DEI similis allabitur, ut ad homines recurrã. credo, quia fortè intus ad similes surdescis voces. At permissu DEI, tentaris? puta ergo, ab ipso DEO te saltem perurgeri; ut Heli, vel Ananiam quempiam adeas, cui te cum tua conscientia aperias, & animam tuam illi facias, quoad omnia manifestam. Quod si facis tibi proderis: si omittis, multùm tibi obfuisti. Crede D. Bernardo, qui ait. *Magis timeo malum, quod facio, adde & quod patior, in abscondito, quam quod in*

aper-

aperto. D. Bernardus Meditat: 14. num: 2do.

13. *Tentationem facit DEVS cum proventu, ipse neminem tentans*, sed tentari permittens, scribit Sanctus Apostolus. Pulchrum est ex pessima semente ac infernali, optimam, cœlestemq; colligere messem! quod fit dum ex tentatione habes proventum. Aves hunc habere proventũ? tentatus, omnino recurre ad tuum in spiritu Patrem.

14. Si recurris ad hominem, in hierarchia Ecclesiæ, & Religionis, eminentiorẽ; indubiè cupitam colliges messem, nec cum uno de tentatione proventu. 1mo. Excludes interioris tuæ pacis inimicũ Sathanã; qui ad instar furis & prædonis, nihil magis exambit, quàm in secreto cordis turbati latere. nihil magis exhorret, quàm propalari, apud Patres in spiritu. Si proditur, pellitur: si fovetur sinu secreti, manet; & suam qua te illaqueet pertexit telã.

2do.

2do. Hoste depulso, redit conscientiæ, & animæ, sua quies, quæ ante non fuit. en alter de tētatione proventus. 3tio. Si fortè cum aliis septem nequioribus, redire voluerit Sathan expulsus per apertam conscientiam; jam ille qui manifestam fecit animam suam Patri in spiritu ab eo illuminatus, plura pro armis habebit in parato media, quibus tentatorem arceat ab accessu, eumq; cum ignominia rejiciat. En quam desiderabilis, nec unus de patefactâ tentatione proventus.

15. Lege igitur attentissimè hac de re præscriptam tibi à Sancto Patre legem quadragesimam primam de Summario: & eam de spiritu liberali conceptam, ut vel Superiori, vel spirituali, vel tuo te aperias confessario; serva accuratus: ut metas quod non seminasti; qui tentari certè noluisti, & tentatorem irruentem hac observatione non semel vicisti.

PURI-

PURITAS CONSCIENTIÆ, Ad Lectiones JESU Docibilibus DEI necessaria. SEU MEDITATIO De Puritate Conscientiæ.

QVia fides docet, quod in malevolam animã non intrabit Spiritus sapientiæ, docibilibus IESV, omnino necessaria est puritas conscientiæ, quæ habebitur, si cor mundũ, & anima innocens erit. 2do. Utrũq; autem bene erit, si arcta sub custodia externi sensus servabuntur. 3tio. Ad quam custodiam, continuum mortificationis necessarium.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Accipe quæ expendas de ore Sancti Patris necessaria ad docibilitatem DEI. *In malevolam animam non intrabit Spiritus Sapientiæ.* Sap. 1. n. 4. quibus puritatem conscientiæ commendari puta.

Præludium II. E consveto auxilium gratiæ his penetrandis petat.

Puncto I. Sentis te docibilibus DEI de speciali ejus gratia adlectũ; aves cœlitum sapientiam, quæ de occul-

occultis trahitur inſpirarionibus Sanctis habere: ille tibi jam prælegit lectiones ſacras, de Manſvetudine, Humilitate, qui unus, omnium DEI docibilium, Magiſter eſt Chriſtus; cum his tamen omnibus, niſi puritatem conſcientiæ ſeruatam accuratiùs velis, ſapientiam Sanctorum non
2. habebis. De fide enim eſt, quia *in*
Sap. 1. *malevolam animam non intrat Spiritus*
n. 4. *Sapientiæ, nec habitat in corpore ſubdito peccatis.* te hic quoad tuum corpus circumſpice; & ipſam lynceus inſpicias animam, an bene utrumque diſpoſitum ſit ad DEI docibilitatē. Si puritas eſt conſcientiæ, utrique jam bene eſt. Puritas conſcientiæ, mun-
3. dities cordis, illis à Chriſto commēdata verbis *Beati mundo corde*, & innocentia animæ, pro eodem ferè ſunt aſcetis. Si enim duo poſteriora bene ſunt, ſi cor v. g. mundum; & anima innocens, infallibiliter erit puritas conſcientiæ.

4. Vis noſſe an cor tibi mundum ſit, faci-

facilè potes; si attentiùs dispicias quales ex eo prodeunt cogitationes. Incarnata veritas Christi hanc universalem posuit thesim, *De corde exeunt cogitationes.* hæ si omnes & singulæ sunt bonæ, mundæ, etiam cor ipsum indubiè bonum & mundum est, nec quidquam officit puritati conscientiæ. Sin minus; supplicandum est, præcipuè DEO Eucharistico, ut ima nostri cordis revisens, illud emundet; vel si pravis habitibus vitiatum, non est emundabile; ut annihilet, & cor aliud mundum creare dignetur. Matt 15. n. 18.

5. Innocentiam animæ videre cupis? vide quomodo se habeant potentiæ animæ. an memoria à sequioribus imaginibus sit depurata? an intellectus non sit immersus illis, quæ cœlo displicent? an voluntas toto pondere solum feratur in bonum? si bene est animæ potentiis, certè & anima ipsa innocens est, nec malevola: sed talis, quæ cum puritate

con-

conſcientiæ requiritur ad ſapientiã cœlitum ediſcendam, ſub Magiſterio Chriſti, quam exambis habere.

6. *Puncto II.* Puritatem conſcientiæ pleniùs certiùsq; conſecuturus, expende illud quod Apocalipſis quarto habetur. *In conſpectu throni mare vitreum ſimile cryſtallo.* cogitaq; id propterea eſſe, ut nemo unus accedat ad DEUM, qui in illo reſidet throno, antequam ſe in cryſtallino perſpiciat mari: num habeat cor mundum, animam innocentem. & conſequenter puram per omnia conſcientiam. nihil enim coinquinati intrat in regnum cœlorum. Quemnam putas aut qualem te videbis in illo maris cryſtallini ſpeculo? ſenſus conſule tuos. Vide ſupra hoc

7. mare, oculum tuum, an innocens? an nunquã fuerit animæ prædo. è vero protulit illud D. Laurentius Juſtin. de oculo liberiore: *Tranſfigitur cor ex inordinato oculorum aſpectu.* Aurem adſpice, an pura & ſancta. lingvam

De vita ſolit. c. 7

gvam examina an erudita ad justitiam, & non universitas iniquitatis? manum excute, an intaminata? Si sensus nullâ notati labe apparuerint, 8.
certò certius, & cor mundum, & anima innocens, & pura est conscientia, quia è communi omnium sensu, nihil est in intellectu, quod non fuerit prius in sensu: & nihil volitum, nisi cognitum; unde ad nihil propendet voluntas, nisi ad quod eam lumine suo inducat intellectus; nihil cor cogitat, nisi quod cogitandū sibi propensio voluntatis intimaverit. Ubi advertis à sensibus externis maximè dependere innocentiam animæ, munditiem cordis, consequenter puritatem conscientiæ.

Hinc Sanctus Pater, arctissimam indicit sensuum custodiam. habeturne? si quas labeculas advertis, 9.
tuos depura sensus, & deinceps omni custodiâ illos velis servare: nec poteris malevolam habere animam: manebit in te cœlitum sapientia.

10. *Puncto III.* Nullarum tibi conscius labecularum vivis? non tibi hoc, sed tribue gratus DEO. at cave, nimium securus maneas, & servandæ puritati conscientiæ, *mortifica membra quæ sunt super terram*, ex imperio S. Apostoli ejusq; exemplo. *Nihil mihi conscius sum*, ait Sanctus Apostolus, *sed non in hoc justificatus*, aut plenè depuratus, si venero ad mare vitreum simile crystallo: additq; alibi,
11. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo.* alii legunt, castifico corpus meũ, *non tanquam aërem verberans*, ut corpus animæ, non è contra, anima corpori serviat. Habemus continuum mortificationis usum, mortificandis membris, quæ sunt super terram, præscriptum à Sancto Patre; usurpa-
12. musne? & quam frequenti in usu illud habemus, servandæ & confirmãdæ puritati conscientiæ. Si paremus quoad hoc Sancto Patri, verè docibiles DEI, capaces Cœlitum Sapientiæ, sub Magisterio Christi vivemus.

vemus. Si ea quæ ſub hoc octiduum ſemel ſtatuuntur, habebunt ſemper in omni occaſione exſecutionē.

Colloquium pro Puritate Conſcientiæ impetranda, inſtituatur ad Diviniſſimam DEI-Param Virginem MARIAM, cui tota tribuit Eccleſia quòd ſit MATER PURISSIMA.

Propoſitum practicum. Ad puritatem animæ, conſcientiæq; conſervandā, arcta cuſtodia tam ſupra ſenſus externos quàm ſupra animæ potentias.

PAX PERFECTA,
Characteriſtica eſt, & teſſera docibilium DEI, vel Collegialium JESV.

SEU MEDITATIO
De Pace.

1. PAx perfecta, & ſervorum DEI & Collegialium IESV eſt teſſera: quia ſuos IESVS, tanquam columbas pacem omnibus ferre & dicere juſſit. 2do. Idq; ſine delectu perſonarum. 3tio. Quia ſi non reperiet pax dicta in quo requieſcat, magno lucro redibit ad pacificum, pacis latorem, IESV Diſcipulum.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare quòd Sanctus Pater te pro tessera Discipulorum JESV, remittat ad JESVM.

Præludio II. Audi JESVM hæc tibi intimantem: *Pacem habete inter vos.* Marci 9. n. 50.

Puncto I. Expende characteristi-
1. cam servorum, Discipulorum, Sociorum JESV, esse pacem. *Qui volunt pacem, servi eius*, ait Rex Propheta, JESVS cum pace natus, Discipulos suos, Collegiales, & Socios, voluit esse filios pacis, JESVS. collige id ex mandato illis dato: *Estote simplices sicut columbæ*: puta sine felle. quod fel biliosum, origo est interturbandæ quietis tam interioris, quoad animam, quàm exterioris, quoad frontem, oculos, os, lingvam, manus; idq; tam in bilioso, quàm in aliis. Expende hæc & palpatam habes veritatem.

Post naturæ scrutinium, teste Plinio sine felle dicuntur vivere columbæ. Columba jussus es esse, jamne

vivis columba? jamne evacuasti sub Magisterio JESV fel tuæ bilis? jamne saltem diluisti illud sangvine JESV Eucharistici?

Nòéticas, qui sub nomine JESV vivimus, imitari debemus columbas. 4.
columba Nòé in ore ramum olivæ, symbolum pacis, in ore è diluvio tulit ad Nòé: IESV Collegialibus suis, Societati suæ non olivæ ramum, sed ipsam pacem ori implantavit, dum jussit illud pro tessera habere singulos: *In quamcunq; domũ intraveritis, dicite primũ, Pax huic domui.* Revise domos in quibus vixisti, omnibusne & singulis pacem intulisti? omnibusne & singulis dixisti: *Pax huic domui?* Vide (in qua vivis,) domum, vide personas: *pacificusne huc adventus tuus?*

Nòética columba ad vesperam tulit ramum olivæ Nòémo; ubi ubi 5.
vives, ad usq; vitæ vesperam, pro ramo olivæ, ipsius JESV verba tuo ori consignata, *Dicite pax*; circum-

ferre ore, in corde autem radicare, debes pacem.

Puncto II. Expende, non restrictâ
6. ad aliquos tantùm, docibilibus JESV, à JESV datam tesseram pacis. Neminem à pace excludit, dum imperat JESVS: *In quamcunq; domum intraveritis, primùm dicite: Pax huic domui.* Continens usurpavit JESVS, pro omnibus & singulis contentis; ut nemo sit, cui tu non pacem dicas, si è vero vis esse JESV discipulus & socius. Sive sit filius pacis, cui convivis, sive non sit; vult Christus, *Dicito*: quantum in te est *Pax vobis.* Itane facimus? *Cum bono*
7. ais, *bonus, cùm perverso perversus, eris.* Ergo hic similiter. Et certè, quo fructu turbatori pacis dicam pacem? Hoc antiquis dictum; hoc cautelæ etiam tuæ præscriptum, ne malorum conversationem exambias. Porrò in Christi Schola, ad Christum à pari argumentari, non est tutum; imò nec fas est taliter argumentari.

Re-

Resolvit in reliquo jam Incarnata Sapientia difficultatem, dum addidit: *Si fuerit ibi filius pacis, requiescet super illum pax vestra. Sin autem*, supple non fuerit filius pacis, qui recipiat pacem; *ad vos pax dicta revertetur*; qui in parte dissimiles columbæ Noëticæ, vivetis; quia illa uni tantùm gubernatori Arcæ Noëmo, ramum olivæ porrexit; non uni vos pacem dicetis, sed omnibus. 8.

At quo lucro rediens pax in te residebit quæris? majori certè, quàm sperare possis: Servus DEI dicêris, juxta illud prædictum: *Qui volunt pacem, servi ejus.* Eminentiorem etiam à servis habebis titulum, Filii DEI, juxta illud: *Beati pacifici, quoniam Filii DEI vocabuntur.* Evades, pace ad te reversâ, hæres DEI, & ipsius cohæres Christi, quod asseveranter ait Apostolus? *Si Filii DEI, & hæredes DEI, & cohæredes Christi.* His expensis adhucne noles pro characteristica docibilium JESV, Socio- 9.

rum JESV, pro tessera illorum, pacem habere ad omnes? pacem dicere singulis?

Puncto III. Media servandæ con-
10. stanterq; inter omnia turbida circumferendæ pacis, quietisq; animæ tuæ, habere vis? in brevi hæc accipe: 1mo. *Nemini dantes offensionem.* Expende *Nemini.* Non superiori, non æquali, non inferiori, non domestico, non externo; non addicto,
11. non suboffenso. *Nemini dantes offensionem.* Non verbo, non facto, non nutu, non gestu, non silentio, si cui suboffensus es, & loqui illi fortè refugias. 2do. Sed alter dat offensionem? Relinque Aristotelis opinionem, fuge hic repressalia & reactiones; *Vince in bono malum*, monet Apostolus, cur non pareas? 3tio. Expediret ais ulcisci tantillum? Ca-
12. ve involes in officium DEI. *DEVS ultionum Dominus*, non tu. Sibi reservavit, quam illi vis præreptam, vindictam. Ille ait. *Mihi vindictam & ego*

& ego retribuam; quid simile tu retribuere posses? Contentus esto, quòd tuî vindictam sibi DEVS reservaverit, eam tamen cave exambias. Statue firma proposita servandæ ubivis locorum, & quoad omnes personas, firmandæ paci necessaria.

Colloquium institue ad Principẽ pacis JESVM, ut DEVS pacis tecum sit ad usq; vitæ decursum.

Propositum practicum. Et pacata, & pacifica, ubivis locorum quoad omnes vita.

Tessera sit hodie. *Non est dissensionis DEVS, sed pacis.* 1. ad Corinth. 14. ℣. 23.

vel hæc ex Prudentio: *Nil placitum sine pace DEO.* nec munus ad aram.

ESURIES Et Sitis Justitiæ:
SEU MEDITATIO
De cura solidarum virtutum.

1\. VNiversalissimè, illi qui filii sunt sæculi, esuriunt planè & sitiunt ea, quæ sæculi sunt. 2do, Iubet & Christus, lucis filios, suos discipulos, justitiam esurire

re & sitire, idq; in sensu composito: sumẽdo *esuriunt & sitiunt*, non sine mysterio. Vt saltẽ proportionetur appetitus justitiæ, appetitui naturali, ad refectionem. 3tio. Quia certè sicut de homine destituto ab appetitu ad refectionẽ, actũ est, ita & de anima esuriem & sitim justitiæ non habente.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare quòd Sanctus Pater, in decursu octidui sacri, ad continuam solidarum virtutũ curam, tuum animum illis JESV exacuat verbis: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.*

Præludio II. Pete gratiam à JESV, verbis JESV penetrandis: ut post sacrum octiduum non sinè fructu sperato vivas.

Puncto I. Cogita. Vis ne illa JE-
1. SV querela cadat supra te; *Filii sæculi huius, prudentiores sunt filiis lucis?* ad hoc omnino necessum est, non tantùm esurias, verùm etiam sitias justitiã. Collectivè utrũq; sumendo verbum. Filios iam sæculi vide; hi nunquam exsatiantur illis, quæ vel

bona

bona ſunt, vel ſibi apparenter videntur bona, ſed continuam eorum eſuriem & ſitim, à bonis jam acquiſitis, extendunt ad ulteriora conquirenda.
Opimam v. g. colonus hâc æſtate 2.
collegit meſſem, majorem exambit ſubſequenti; & ſementem illi jacit, ſi poteſt, liberaliorem. Mercator hodie lucratus mille; acuit animum ad majora lucra in craſtino coacervanda: & ad hoc ſuas intendit induſtrias. Dilatare paſſim percupiunt ſua Principes latifundia; protendere ultra & ultra, fines regni, Reges exambiunt.

Qui ſibi totum videbatur noſtri hemiſphærii orbem inſediſſe Mace- 3.
do, ubi didicit à Philoſopho reſtare alterum, quem non deoccupârat, in lacrymas totus eliquatus, Rex an puer? Hoc ſæculi filiis deſiderium eſt, plura & plura bona habendi.

Filius lucis es, aut ſaltem debes
eſſe, qui ſub ſole vivis juſtitiæ. Ve- 4.
ra, æternitati duratura bona, ſunt

foli-

ſolidæ virtutes; expende. Eſtne tantum tibi earum deſiderium, quantum ſæculi filiis, eſt bonorum etiam ad apparentiam tantum bonorum? Eſtne ea, quam Chriſtus, & S. Pater verbis Chriſti, tibi commendat, eſuries & ſitis juſtitiæ? Unâ acquiſitâ, pergimusne ad aliam perfectionem conquirendam?

D. Antonius eremicola, quoties
5. aliquam audiebat in alio dilaudari eminentiam virtutis ſolidæ, quam in ſe non advertebat, toties illacrymatus ſuæ quodammodo ſegnitiei, mox ad eam indipiſcendam totis animi incumbebat viribus; nec prius incumbere deſiit, donec eam acquiſitam in ſuo ſentiret animo. Hinc fortè ſuo ſæculo dictus; *Magnus Antonius*; certè cœlis, ipſo Macedone
6. major. Quid ſimile in nobis, qui inter tot media & opportunitates virtutum conquirendarum ſteriles vivimus? Eſuri exhinc, & ſiti juſtitiam, ut Magno DEO, magnus

exhinc

exhinc vivas, non pusio Religiosus, qui fortè hactenus vixisti; & quanto putas pudore tuo non crevisti!

Puncto II. Cogita, quia jota unū, unus apex non est otiosus in verbis JESV, tantò magis in dogmatica doctrina *Verbi Incarnati*, nullum verbum otiosum, quale sæpiusculè homines non vitamus. Non satis habuit, suis Collegialibus JESVS indixisse vel esuriem solam, vel solam justitiæ sitim, sed utramq; in sensu collectivo sumendam, consequendæ beatitudini necessariam, indixit sub nomine suo viventibus, dum ait: *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam.* 7.

Expende jam dictionis mysteriū. 8.
In homine sano, quot diebus perpetim suas alternant vices, esuries & sitis. datur cupita esuriei offula, cessat tantillùm exigere esuries; sed mox caliculum, saltem frigidæ, deposcit sitis. Utraq;, tam sitis, quàm esuries habet interim solatiolum suum, putas quiescet? nequaquam.

Sed

Sed dum natura innato calore suggesta digerit, mox sitis prævenit esuriem, subsequitur postmodum sitim esuries, idque tota ferè vitâ, unus refocillationis appetitus, per illa duo succlamat: *Affer*, *Affer*, dum sibi bene constat ventriculus.

Per esuriem igitur & sitim justitiæ, suæ primæ Societati Apostolicæ, &
9. in ea nostræ minimæ, JESVS, irrequietum commendavit studium virtutum, earumque solidarum: ut religiosus, *in sanctitate & justitia coram eo* incedens, in progressu extendat se ulterius & ulterius: & quacunque virtute acquisitâ, non dicat sufficit, sed esuriat & sitiat justitiam, vel aggregatum virtutum solidarum. Expende. Uvula aut mica quæpiam,
10. etiam dulciariorum, de quacunque mensa Principe, non explet esuriē; una gutta vel stilla nobilissimi etiam liquoris non restingvit, nec sedat sitim. Simile quid cogitare nos jubet JESVS, de esurie & siti justitiæ; ut

ut non uvulas, non stillas, sanctæ esuriei & siti, sed solidas procuremus virtutes. Hoc S. Pater suo instituto, in quo digitus DEI est, exigit Regulâ 15ta summarii. hoc post sacrum religiosioris otii octiduum exactum, expectabit DEVS. hoc in indicta esurie & siti, esurit sititq; in nobis JESVS. Vide in omnibus correspondere velis esuriei sitiq; in te JESV.

Puncto III. Cogita omnino necessariam animæ esuriem & sitim justitiæ, aliàs sine hâc, vix bene homo potest sperare animæ. à notiori cogita. In homine, si totus deperit aut intermoritur appetitus, & nec restauratur, nec excitatur; ubi nulla cibi esuries, nulla sitis potûs, jam conclamata est vita à medicis. 11.

In anima, si nullum sit desiderium ad plenam perfectionem, esuriei & siti æquivalens, per analogiam ad illud primum; puta animam hanc cœlo esse depositam. 12.

Quid-

113. Quidquid langventi homini obtruditur invito, ad refocillationem; sive de cibo, sive de potu; si antecedenter appetitus non exigebat, aut nihil, aut vix proficit. Vrgeatur & perurgeatur omnibus industriis anima ab extra ad virtutem; si interius, pro desiderio fastidium est perfectionis, omnia vix juvabunt.

114. Vna cibum esuries condire; & sitis potum gustabilem facere solet, aliàs neutrum sine his condimentis sapit, adeoq; nec nutrit langventē, juxta illud: *Quod sapit, nutrit.* Inter cætera ex parte hominis se tenentia media, vix non sola esuries sitisq; justitiæ, maximè animam excitat ad curam solidarum virtutum, & alacre illarum conquirendarum studium. Hæc si desit, virtus ex necessitate, aut ab extrinseco, quasi à coactione, parum sapiet, vix nutriet, & langventem in spiritu hominem, relinquet ruinæ obnoxium.

Sensistine aliquando similem esuritem

eſuriem & ſitim ſanctitatis & perfectionis conſummatæ, quæ nomine juſtitiæ venit? qualem ſoles uſualium ſentire, ſi menſa diutius differatur? Cura majorem ſentias; ubi ſemel ſenſeris; exacuas ulterius; & ſolidas ſolatio Sancti Patris curabis virtutes. Senſiſtine ſaltem DEI 15.
Euchariſtici Chriſti, eſuriem & ſitim ſimilem Sanctis ejus? & tamen Chriſtus Euchariſticus, fons juſtitiæ & ſanctitatis! quâ eſurie & ſiti ſanctiore ad illum accedis, vide. Si in via eſurieris ſitiverisque ex indictione JESV, & S. Patris, juſtitiam, & Chriſtum, qui juſtitia noſtra eſt, cibabit te, torrenteque voluptatis, potabit in Patria DEVS tuus JESVS.

Colloquium inſtitue ſecundùm pias affectiones, ad quas fortè permota voluntas

Propoſitum practicum. Irrequieta ſolidarum virtutum cura.

Si fortè placet variare teſſeram diei hujus, hâc variare potes.

Religiosus ita virtutibus debet esse affectus, ut alius esset voluptatibus. Joan: Climacus.

vel hâc: *Virtutes, vivi sunt colores, quibus in nobis nativa forma DEI exprimitur.* Gregorius Nissen. de opificio hominis c. 4.

vel hâc: *Insomnẽ animæ oculũ, conserva ad studia virtutum.* S. Isid. Pelus.

REFLEXIO

De perpetua tendentia ad perfectionem, vel de constanti profectu in spiritu.

VIx apud Ascetas tenet, illa quasi veritas, quàm Pöësis in assentationem effinxit cuipiam.

Dimidium facti, qui bene cæpit, habet.

Distincta sunt in rigore veritatis, Initium, Medium, Finis. Verius dixeris.

Principium facti, qui bene cæpit, habet.

De illo autem, qui nec bene cæpit,

pit, cave aliud dixeris quàm hoc:

Hic nec principium, qui malè cœpit, habet.

Et ſacri eloquii ſtylus non videtur tanti æſtimare principium ſolum, quia monet; *In finem ne corrumpas.* Et Eccleſ. 7. v. 9. monemur, *quia melior eſt finis orationis, quàm principium.* expende & ſimilia de aliis ſenti.

Hinc S. Pater ad conſtantem in ſpiritu profectum, illâ Regulâ 15ta ſummarii ſuos urget, ubi ait, *Omnes conſtanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis, quod Divinâ gratiâ conſequi poſſimus, prætermittamus; in abſoluta omnium Conſtitutionum obſervatione, noſtriq; inſtituti peculiari ratione adimplenda:* expende hæc ſigillatim. 2.

Omnes. citra omne dubium, ſi bene te reflectis, lex prædicta, omnes in Societate viventes obligat, & quidem ſub graviori: quia omnes vi ſtatûs noſtri religioſi, tendere ſic attinemur ad perfectionē, quæ præſcribitur non prætermittenda. Eſt- 3.

ne hæc, & perpetuaturne tendentia?
Constare S. Pater jubet nostrum
4. animum in consectanda perfectione.
hoc sonat particula: *Constanti animo.* Constatne quoad hoc sibi noster animus? Tirocinium Societatis primâ ætate ingressi, fervere persensimus animum ad perfectiones conquirendas. Estne etiam nunc, saltē ille, qui ante fuit fervor? debuit autem esse auctior. an non intepuit? an non possit illud in te torqueri?

Cœpisti meliùs, quàm desinis.
Vltima primis
Cedunt. Dissimiles, hic vir & ille puer?

an non adgemis tuis intra te imperfectionibus, illo usitato: Principiū fervet, medium tepet, ultima frigent.

Dixi nunc cœpi, tuæ convelandæ
5. tepiditati, ais cum Davide; nunc volendo in viam redire perfectionis. Non improbatur etiam sera, modò sit seria voluntas redeundi ad cor. At quomodo probetur, malè acceptum,

ptum, Regis Prophetæ dictum?

Dixi nunc cœpi, ajebat David, non quod cœpta semel relinqueret 6.
& derelicta resumeret; sed quod cœpta bene, nusquam interrupta, nunquam deserta, continuaturus viam justitiæ, prædictis verbis animũ suum excitaret, ad ulteriora & ulteriora progrediendo, ad usq; ascensũ propè cor DEI. unde & illud obtinuit elogium, quo toti audiebat cœlo: *Vir secundùm cor* DEI. Apud te quid simile rei, ad verba Davidis Regis? Cur Davidis verba nuda, sine sensu Davidis accipimus? Se- 7.
gnitiei aut tepori nostro protegendo in scutum obtendimus verba Regis? quæ vix protegent, quia sensu debito non firmata. Consultius facimus, si hinc in bene cœptis constare sibi nostrum faciemus animum, exemplo S. Patris nostri, continuò in sanctiore vita proficientis, eumq; singulis diebus ad bene cœpta continuanda cum Davide incita-

tabi-

tabimus tesserâ planè regiâ: *Dixi nunc cœpi.*

8. *Incumbamus constanti animo.* vult S. Pater non quale quale studium perfectionis, sed eximium; omnesq; animi vires evocat ad illud, dum ait: *Incumbamus*; quod verbum nisum quendam exigit nostrum singularē. Tuum vide, estne quale vult, animi tui studium S. Pater, ad condiscendas practicè perfectiones? Estne saltem studio Philosophico simile? Et tamen deberet esse majus, quia S. Pater docet & rectè, *Plus momenti in hoc, quàm illo situm esse, ad religiosam vitam & salutem.*

Nihil perfectionis, quod gratiâ DEI
9. *consequi possimus, prætermittamus.* Certum, quòd sine gratia DEI nihil possimus. Æternæ enim veritatis illud est, Christi effatum: *sine me nihil potestis facere.* Sed præstò nobis in Societate viventibus IESVS est, sub cujus nomine sumus. præsto est propitiatio ejus appromissa Societati præ-

præstò & gratia DEI nobis est de propitiatione JESU; modò nos gratiæ DEI & nostræ obligationi non desimus, extendamusq; nos ad ea bonis desideriis, nec sterilibus, quæ necdum sumus consecuti, & pluris nos æstimabit cælum, quàm si gratià miraculorum excelleremus. *Virtutum enim desiderium non sterile, præcellit operationem miraculorum*; asseveranter ait D. Laurentius Iustinianus, & cur illud non æstimamus?

Ne autem perfectiones tibi tanquam Platonicas effingas ideas, en 10.
S. Pater de sub concavo lunæ, te in domum Societatis devocat, dum ait: *Nihil prætermittamus perfectionis in absoluta nostrarum* (expende) *Constitutionum observatione, nostriq; instituti peculiari ratione adimplenda.*

Nihil perfectionis prætermitte in 11.
docendo, si Magister aut Professor es. Nihil perfectionis prætermitte in concionando, si concionator es; sicq; de similibus. & hoc totum secundùm

cundùm tuas, tibi, tuisq; officiis præscriptas leges ex instituto, ut illud peculiari ratione adimpleas. Nihil omitte perfectionis in orando, meditando, conversando, conscientiam examinando.

12. Quod si facis, perpetuabis tendẽtiam ad perfectionem per quotidiana & continua tui officii negotia, constanterq; in spiritu proficiendo, cum gratia DEI, perfectus evades.

Novam & hic si exspectas tesseram in via DEI usurpandam, assume.

vel hanc. *Non eris cum pluribus in malitia.* Exodi 23. v. 2.

vel hanc. *Melior est unus faciens voluntatem DEI, quàm innumeri prævaricatores.* Eccles. 16.

vel hanc. *Non aliter conversatur homo, quàm intus maneat.* D. Laurent. Justin: de casto connublo.

Ad sacrum octiduum concludendum, in 3tiam meditationem hodie ne nihil de via unitiva degustetur ex 4ta hebdomada S. Patris assuma-

tur

tur contemplatio ad amorem ſpiritualem in nobis excitandum, quam ſi quis attentius expendit, infallibiter exardeſcit in amore DEI.

Poſt hanc expeditam; pro libitu hodie, vel poſtridie, ad eundem finem aliquantulum conducens poterit aſſumi, vel attentiùs relegi ſubſequens meditatio.

PERPETUITAS Amoris DEI in hominem.
SEU MEDITATIO
De Perpetuo in nos amore DEI, ſupra illa verba: *Charitate perpetua dilexi te?* Jeremiæ 31. v. 3.

1 NEcdũ eras, & jam ab æterno, DEUS, charitate ſuâ, eaq; perpetuâ dilexit te poſſibilem; idq; magis quâm alia purè poſſibilia. 2do. Dilexit te DEUS toto ſe, ut toto te diligas DEUM. habetne apud te intentum ſuum DEUS. 3tio. Omnes diligibilitates in te unum collegit DEUS, ut in te uno diligeret omnia. Omnia diligibilia in ſolum concentrare debuiſti DEUM! omnia in DEO! propter DEUM omnia! cũ DEO dilecturus omnia!

fecistine quod exspectabat DEUS? quando facies?

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Jussu S. Patris, sub cujus oculo, post DEUM, octiduum decurrebas; accipe ab ipso DEO illa verba tibi intimari: *In charitate perpetua dilexi te.* Jerem: 31. v. 3.

Præludio II. Adora DEUM tuî amantissimum, peteque gratiam, ut cognitâ DEI in te dilectione, tuam vicissim in illum exardescere sentias.

Puncto I. Ad demirandam tantillùm charitatem in te perpetuã DEI,
1. expende hunc verborum binarium, *Charitate perpetuâ.* scis quâ dilectionis suæ perpetuitate dilexit te DEUS tuus? eâ cui nihil potest proportionari in creaturis: quantumvis
2. totum universum; cœlum sume simul & terram, ipsissimo igne tui amoris in DEUM flagraret.

Perpetuitati amoris DEI in te mensura est, ah quanta! ipsa absolutissima DEI æternitas!

Ha-

Habet Angelus immortalis, æternitatem à parte post: secundùm animæ immortalitatem, & homo habet supparem Angelis æternitatem; sed tantùm similiter àparte post, non autem æternitatem à parte antè: adeoq; tam Angelus, quàm homo, 3.
per creationem habendo in tempore initium suî, non habent absolutã ab omni initio æternitatem.

Solus DEUS, tam à parte antè, 4.
quàm à parte post, in se & à se absolutissimè æternus, unde secundùm fidem dicitur Abæternus. Hic DEVS Abæternus, te ab æterno nunquam interruptâ, semper singulis cogitabilibus momentis, charitate dilexit, dilexit, dilexit! cogitastine hoc saltem semel, ut exardesceret tuus in DEVM amor? diliget te in æternum, spemper, semper, perpetuabili, quantùm in eo est, charitate DEVS; quia nihil eorum odit, nihil eorum odisse potest, quæ fecit. Et tu fortè necdum etiam nunc dili-

gis tuum DEVM, qui te dilexit ab æterno! Necdum eras, sed nonnisi possibilis eras, & jam charitate perpetuâ dilexit te DEVS!

5. Dilexit ipsam possibilitatem tuam, exaggeratiori charitate, quàm aliorum merè possibilium. In illis
6. quæ in sua merissima possibilitate reliquit, nunquam ea producturus; solitariam DEVS dilexit possibilitatem; in te, qui hæc legis aut meditaris, qui actu es; ab æterno dilexit possibilitatem, existentiæ tuæ sociabilem! Vide charitatem DEI in te, quam satis demirari non poteris, etiam inde quia nunquam sub tuum meritum poterat cadere.

7. Quære huius in te Divinæ charitatis, profusioris quàm in alias merè possibiles creaturas & homines, quære initium; nusquam invenies, nusquam est. Sicut enim DEVS non habet initium sui, sed ab æterno est, sic nec charitas ejus in te, habet
8. initium. Quære finem charita-

tis

tis DEI, quâ te diligere paratus est DEVS, nunquam invenies, quia totâ à parte post æternitate, quantùm in DEO est, DEVS te diligere non desinet. O perpetua! verè perpetua in te charitas DEI te diligentis!

Tuum jam in DEVM vide, & commensura amorem, huic perpe- 9.
tuæ charitati; quâ te dilexit DEVS. In totam quantam, à parte post, æternitatem, à primo rationis usu inchoare debuisti: inchoatam nunquam in minus variatam; nunquam interruptam, perpetuare tenebaris tuam in DEVM charitatem; ut saltem à parte post, posses è vero dicere DEO tuo: Et ego, ubi infantilem, planè animalem, finivi; cœpi autem cum primo usu rationis vitâ rationalem, charitate perpetuâ dilexi te DEVS meus; potesne id non renitente dicere conscientiâ?

Ah quoties in sæculo, per gravius 10.
aliquod delictum, interrupta! ah quoties in ipsa religione in minùs

variata, & remissior facta in DEVM tua charitas per venialia, quæ è communi Theologorum sententia *imminuunt fervorem charitatis*! DEVS te
11. suâ charitate perpetuâ intensissimâ, quia Divinâ, qua nihil majus esse potest, dilexit te, diligitque, quantum in eo est; charitate perpetuâ immutabili, quia DEVS, adeoque immutabilis est. Mutabilis es! quoad hoc
12. in pessimum mutabilis; cur non in melius, sed in deterius mutaris? cur ad intensionem Divini in te amoris non allaboras, sed tendis ad remissionem? ecquando tandem sic incipies amare DEUM, ut nunquam ab hoc amore, nunquam ab eius intensione desistas? Excute tandem torporem;
13. concipe saltem nunc, illum sanctioris amoris ignem, quem JESVS *venit mittere in terram*, conceptum, omni opportunitate intendas, ut terrenũ hactenus cor tuum, omnino ardeat, quod vult ardere JESVS. Voce cordis tui auditori, succlama cum

Augustino: *Ah serò te cognovi, serò te amavi, qui me dilexisti charitate perpetua! volo iam, volo exhinc, quantum mihi per tuam licebit gratiam; volo quantum & in me est, volo charitate perpetuâ, volo omnimodis perpetuabili charitate, diligere te DEVM meum in æternum. & si quid ultra æternitatem à parte post esse posset, vellem te diligere, non tantùm in æternum sed ultra & ultra, ut aliquatenus tuæ in me charitati perpetuæ, quâ dilexisti me DEVS meus, saltem desideriis meis aliquam reddam vicem, ultimus ex hominibus.* 14.

Puncto II. Expende ulterius alterum de dilectione DEI erga te binarium verborum. *Dilexi te.* Toto se, dilexit te DEVS tuus? Rependisne proportoinatã DEO te diligẽti vicem dilectionis, ut toto te diligas DEVM tuum? præter hanc enim non est aliud, in quo par pro amore DEI referre possis DEO, juxta illud: *Si dederit homo, omnem substantiam domûs suæ, pro dilectione; quasi* 15. Cant. 8. n. 7.

 nihil

nihil despiciet eam. Expende & vide
16. quomodo toto se dilexit te DEVS tuus! Quodcunq; in DEO cogitas attributum DEI, iam illo te dilexit DEVS. Dilexit te *suá Omnipotentiá*, creando, ac in singula momenta diligit, conservando te, ne in nihilum recidas, è quo evocatus es per creationem, ab eo, qui vocat ea quæ non sunt, tanquā ea quæ sunt. Conservatio enim, est continuata quædam creatio.

Dilexit te *Sapientiâ suâ*; guber-
17. nans te, omnia tua; & te, ac de te, disponendo, in omnibus & singulis circumstantiis: te vix aliquid, aut nihil cogitante; à fine ad finem attingens fortiter, ad superandas, tibi alioqui non superabiles, difficultates; & in fortitudine omnia disponens suaviter. Reflecte te, & supra vias illas, quibus te DEVS è sæculo in religionem; ex Ægypto, in terram planè promissionis, eduxit, induxit; hic conservat. & palpabis, quia

quia DEVS te ſuâ ſapientiâ dilexit.
Adora fortem, ſimulq; ſuavem *DEI Sapientiam*, in omnibus de te diſpo- 18.
ſitionibus. *Bonitate ſuâ* dilexit te DEVS; qui ſcis, quantam malitiam tuam contra nitentem, pervicit optimus DEVS, ne ab eius reprobareris pueris! *Providentiâ ſuâ* dilexit 19.
te DEVS, *in quem ab utero projectus*, ab eo planè educatus, cibo Angelico, cibo Euchariſtico enutritus, exaltatusq; vivis. utinam non ſpernens DEVM tuum! Dilexit te *Miſericordiâ ſuâ*: multitudine innumerâ miſerationum ſuarum; multigenis, tibi notis miſeriis tuis, tam corporalibus, quàm ſpiritualibus ſubveniendo. Numera tuas, ſi potes, miſerias: ad ſingulas illas, plures & plures, DEI te diligentis miſerationes oblatas, aut etiam quandoq; vix non invito collatas, reperies! ſic te DEVS miſericordiâ dilexit ſuâ! *Longaminitate ſuâ* dilexit te, qui toties delinquenti, toties longanimis & patiens pepercit!

20. Dilexit te quod fortè vix advertis, suâ *Immensitate* DEVS, ubivis locorum, tibi, in te præsens, præsentialissimè. Magis in DEO es, quàm infans in sinu Matris; magis quàm infans in utero Matris est; magis in DEO es, quàm in obambiente circumquaq; sis áére. Magis in DEO es, quàm tua in tuo corpore sint mēbra! Nec infans cum Matre, nec áér cum homine, nec membra corporis in corpore sunt penetrativè; DEVS enimverò in nobis, nobiscũ, penetrativè est. Sic DEVS suâ Immensitate dilexit nos, ut præsentissimus nobis esse velit! Quod non satis demiratus S. Apostolus, ait: *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Cogita vltra. Vnumquodq; attributum DEI, DEVS est; quotquot ergo secundùm humanum loquendi modum attributa cogitas in DEO, toties dum illis te dilexit, se toto dilexit te DEVS tuus, diligit sic etiam nunc. diliget æternum, ecquando

tan-

tandem toto te incipies diligere DEUM tuum? Adora, & adama, & 11.
redama, singula DEI attributa; dilige DEVM Omnipotentem, totis viribus tuis; Bonitatem & Providentiam DEI, dilige totâ memoriâ tuâ, continuò DEVM, & eius in te recolendo beneficia. Dilige sapientiam DEI, omnibus & singulis industriis intellectûs tui. dilige misericordiam, longanimitatem, immensitatem DEI, totâ voluntatis tuæ in DEVM solum propensione. Verbo, toto se dilexit te DEVS tuus! perurget DEI præceptum: *Diliges DEVM tuum ex toto corde, totâ animâ.* Diligas ergo DEVM toto te. si facis totum, quàm parum facis? nulla enim finiti ad infinitum est proportio. Si tamen præceptum imples, jam ex destinatione DEI, referes quasi par pari, reddesq; quantum cum gratia DEI in te est, DEO te diligenti vicem dilectionis tuæ. Attigisti, nec satis expendisti, pri-

num de binario hic posito verbum, ly *Dilexit* tenens se ex parte DEI. ah opus esset expēdere saltē aliâ opportunitate, verbum alterū, Te dilexit! Te, nosti quem? conceptum in peccato! toties iteratò rebellem voluntati Divinæ, sanctissimæ, rectissimæ! hæc cogitando, dehiscis in tuum nihilum! exurge inde & ama DEVM! ipse Amor DEI; pennis aureis elevabit te è tuo nihilo, ad melius tuum esse, quàm olim habueris.

Puncto III. Cogita insuper quia
22. pro minimo habuit DEVS, omnia creâsse propter te, omnia conservare propter te, omnia in omnibus usque modò operari propter te. Sed insuper omnes amabilitates collegit in te, ut te, unum motivum haberet, ex quo diligeret te, toto se, & in te diligeret omnia. quid tu quoad hoc par, non dico reponis? quid par reponere posses? si vel æternitatem sub Sole viveres? breves tibi sunt dies vitæ tuæ huius, & quomodo re-

damas DEVM, qui te tantùm dilexit, collectis in te amabilitatibus? Vlterius id expende: Certū est, quòd hoc nonnisi, quod bonum est, diligibile est. neq; enim malum quà malum amari potest; sed si amatur, id fit saltem propter fucatam aliquā boni apparentis effictam in malo speciem; & bonum quà tale, nunquam odibile est, nisi aliqua superinjiciatur illi larva mali. Solum igitur bonum diligibile est.

Porrò omnia quæ DEVS creavit, bona sunt, & sicut in se diversa sunt, 23.
sic diversas diligibilitates concreatas à DEO sibi habent. Et hoc ille sacer textus expressit: *Vidit DEVS cuncta, quæ fecerat*; expende, quia debent singula videri quæ facis, si 24.
vis imitari DEVM: vide si libet singula sigillatim creata breviter, *Et erant valde bona*: expende imitaturus DEVM, non quomodocūq; sed valde bona facere velis, quæ facis propter DEVM. Iam cogita ultra,

25. in uno quoq; hominum, DEVS omnes creaturarum gradus compendiavit. habet homo esse commune, v.g. cum gemmis, aliisq; similibus; & crescere cum plantis, liliis, rosis, &c. sentire, cum animalibus: intelligere, cum Angelis: compendiatis creaturarum gradibus in quemlibet hominem, in quemlibet collegit bonitates creaturarum depuratas: Collectis in singulos homines bonitatibus creaturarum, concentravit in unumquemq; hominem DEVS diligibilitates, ut sic omnia in uno homine diligeret. Sic DEVS tanquam te unum haberet, charitate perpetuâ diligere te voluit, toto se, dum omnes diligibilitates collegit
26. in te. Quid simile rependis DEO? qui omnium diligibilitatum compendium es, dilectioni vel charitati ejus objectum concentratum es, ad charitatem ejus perpetuam!

Diligi bilitates tuas in unum so-
27. lumq; DEVM omnes conferre debui-

buisti, contulistine? Solus DEVS, qui summum Bonum, Bonum Purissimũ, Bonum indefectibile est, tuæ dilectionis, debet esse obiectum adæquatum. Cur non est? cur non in solo DEO omnia diligis, qui in te 28.
uno diligit omnia? cur non solum DEVM in omnibus creaturis diligis? cur in varia distrahis, non sine fuco etiam diligibilia, cor tuum? & tamen cor tuum planè illud est *breve pallium* à Propheta delineatum, quod *duos operire non potest.* Creaturas 29.
diligis, si Creatorem in illis non diligis; micâ unâ exsaturari, stillâ unâ de cisternis dissipatis exsatiari quæris; & fontẽ omnis boni, omnis diligibilitatis, omnis sanctioris satietatis relinquis! Erubesce ad hæc; meliora ex hinc sapere velis. Statuenda in hunc finem statue.

Colloquium triplex institue: 1mũ ad S. Patrem qui S. XAVERIO Indiarum Apostolo, & subinde aliis ad varia abituris munia intimabat:

ite, accendite omnia, inflammate, peteq; eius inſtantiâ, impetrandam cælitus, eam Divini amoris ſcintillam, quæ tandem amplietur in flammas. Poſſet hoc colloquium illo S. Patris affectu terminari: Suſcipe Dñe univerſam libertatem meã.

2dum. ad Beatiſſimam quæ indubiè frequentiùs ardentiori amori Divino ſpirabat, quàm ſuæ reſpirabat vitæ, cui dilectio DEI pro morte fuit, juxta illud: *Fortis ſicut mors dilectio eius, puta DEI.* Terminetur hoc colloquium per *Magnificat anima mea Dominum.*

3tium. Inſtituatur colloquium, ad JESVM, qui *ignem venit mittere in terram*, conſequenter etiam in terrea corda, quale forſan eſt, unum ex iſtis tuum; ut pro eius intento ardeat flammetq; amore DEI.

Si commodè fieri poteſt, hoc colloquium terminetur Pſalmo illo: *DEVS miſereatur noſtri.*

Propoſitũ practicũ. Perennis amor DEI, cum continua præſentiæ DEI memoria.

Teſſe-

Tessera sit hæc frequens in usu. *In tota virtute dilige eum, qui te fecit.* Eccles. 2.

vel hæc: *Cœlum & terra, & omnia quæ in ea sunt, non cessant mihi dicere, ut amem DEUM meum.* Divus Augustinus Medit: c. 24.

vel hæc: *Dilige ò anima DEUM, à quo tantùm dilecta es.* Idem ibid.

vel hæc. *O DEUS! accendar totus à te, ut totus diligam te.* D. August. Soliloqu. c. 19. n. 1.

PATERNA,
S. PATRIS JGNATII,
Post Octiduum expendenda COMMINATIO.

Propter quod inexcusabilis factus es o homo. 2do. ad Rom: num: 1.

Formidabile equidem est, quod prædictis verbis S Pater comminatur: scilicet inexcusabilitas collecti, successura collectionibus, si spe-

rata

rata hactenus & expectata cœlo, mutatio in melius, non successerit sacro otii religiosioris octiduo. Quod octiduum ponitur pro quadam causali inexcusabilitatis, dum dicitur, *Propter quod inexcusabilis es*: Sed Apostolicis conceptam verbis comminationem planè secundùm Apostolicam Spiritus lenitatem, Paterni affectûs suavitate attemperat S. Pater, dum cætera, nostræ confusioni idonea subticere dignatus, hoc uno concludit verbulo: *ô homo!* Jam pleniùs hæc in subsequentibus expendenda.

FUNDAMENTUM Inexcusabilitatis.

SEU MEDITATIO

Super hunc verborum binarium.

Propter quod;

SI collectiones vita perfectior, non 1. subsequitur, inexcusabilitatem collecti fundant exercitia S. Patris. 2do. Quæ alias efficacissimum sunt medium ad omne genus sanctitatis. 3tio. Hinc uberes virtutum fructus producunt bene peracta.

Oratio

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. De ore S. Patris leniſſimè tibi comminantis, Apoſtolicæ comminationis prima accipe verba, *Propter quod*, quibus S. Pater plus ſignificat, quàm dicit.

Præludio II. Pete gratiam meditationi inſtituendæ.

Punctum I. Lege & expende, quæ olim Doctor Gentium Sanctus Paulus Apoſtolus ad Rom: 2. num. 1. II.
vel Iudæis Romæ degentibus, vel univerſim Romanis dedit. *Propter quod inexcuſabilis es ô homo.* Intonuit ſic Apoſtolus Romanis, fide illuminatis, Apoſtolico magiſterio ad Divina eruditis, ac ad viam ſanctiorem per gratias excitantes ſublimatis, dixitq; quòd inexcuſabiles demũ victuri eſſent, ſi vel à cœleſtibus in terrena iterũ defluerẽt deſideria; vel in umbras vitiorũ, quod pejus; vel in tenebras infidelitatis, quod peſſimum eſſet, redirent, ab illo admirabili lumine fidei & virtutum

tutum, in quod erant vocati. sub collectiones similia dona, de manu DEI per S. Patrem accepisti. Vnde non immeritò idem planè ad terminum octidui, à S. Patre IGNATIO;
2. à Divinissima DEI-Para Virgine MARIA, cui cordi est Societas, & cura Societatis JESV, tanquam Societatis Filii sui: Deniq; ab ipso JESV, cujus nomine consignata est hæc minima Societas, tibi dictum puta: *Propter quod inexcusabilis factus es ô homo.* Hic respecta inprimis illud lumen, quo sub collectiones dirigebaris, ad longè aliam sanctioremq; vivendi rationem. Recole illa desideria, sub hoc lumen sanctè accensa, fortè & flammare sub ipsos cœlos inchoata. vide & proposita vitæ in melius instaurandæ concepta. tandem providere efficaciter velis, ut hæc omnia & singula, in suo esse, conservata, per praxes auctiora fiant! ne omnino inexcusabilis cœlo vivas.
3. Suppone illud interim, saltem tan-

tanquam probabile; quia sive bene, sive non omninò benè exactum est collectionum hoc octiduum, inexcusabilis olim comparebis DEO. Si enim non omnino bene; tuo vitio id evenisse convincêris. Si bene, & tamen bonis ad meliora instinctibus acceptis, ac in proposita efformatis, non satisfeceris: itidem tibi, & tuæ incuriæ, circa salutem & perfectionem animæ, imputabitur; manebitq;, quia propter hoc octiduum collectionum, (novit Dominus an non ultimum,) inexcusabilis fies ô homo! Apprehende hæc pro condigno.

Puncto II. Ut intra te convictus faciliùs tuæ coram DEO Judice caussalem inexcusabilitatis admittas, expende id loci; Quid, & quantæ sint efficaciæ S. Patris exercitia, ad salutem & perfectionem animæ.

Summa in Ecclesia DEI potestas, Sedes Apostolica, in ea bulla, quâ 4.
Paulus III. Pontifex Maximus, libellum

bellum Exercitiorum S. Patris approbavit, hæc ſignanter poſuit: *Documenta ſeu Exercitia hæc ſpiritualia, ex ſacris ſcripturis, & vitæ ſpiritualis experimentis elicita.* expende, *tanquam pietate & ſanctitate plena, & ad ædificationem & ſpiritualem profectum fideliū, valde utilia ac ſalubria eſſe, ac fore comperimus.* expende. *quæ piè permovendo fidelium animos, uberes in Eccleſia DEI fructus ubiq; gentium* expende *producunt.* hæc ſingula habet Bulla, licèt non ſimul poſita. Iam vide quanti æſtimare debuiſti S. Patris Exercitia! quanti quodvis ex præcedentibus collectionibus octiduum! de quorum ſingulis è vero dici potuit; Octiduum ſacrum.

5. Vide an poſt gratias DEI, efficaciter in bonum excitantes; poſt dignum Sacramentorum uſum, quo ad bona facienda in ſpiritu convaleſcimus; an aliud, ab exercitiis prædictis, medium efficacius, ad pietatē & ſanctitatem, aut ſperari, aut cogitari

gitari possit! *Pietatem*, ex S. Apo- 6.
stolo, *ad omnia bona utilem*, uno vis 1a ad Ti-
consequi compendio? si octiduum moth. 4.
ritè peregisti, non modo pietatem, n. 7.
sed plenitudinem pietatis habes:
hæc enim Exercitia, ut oraculum
Sedis Apostolicæ dicit, *plena sunt
pietate*. Formâ peccatoris exspo-
liatus, sub sanctitatis formam tran-
sire percupis? non difficulter id fa- 7.
cies, modò illa deducas in praxim,
quæ sub Exercitia speculativè nota-
sti, vel fugienda vel prosequenda.
Hæc enim documenta S. Patris ita
plena sunt sanctitate, ut non modò
ex iis Sanctus, sed magnificè Sanctus
evadere possis.

Divus Augustinus ad illa Psalmi 8.
95. verba: *Sanctimonia & magnificen-
tia opus eius*; ait: *Vis esse magnificus?
esto Sanctus; Sanctimonia præcedit ma-
gnificentiam.* Ad sæculum alias ab-
legamus Religiosi magnificentias?
magnificentiam ex sanctimonia ori-
undam, quam DEVS operatur in no-
bis,

bis, si cooperamur ejus gratiis; ipsi omnino cœlis inferre debemus. De plenitudine sanctitatis Exercitioru S. Patris si evadis Sanctus, indubiè & magnificus cœlo audies; quia evades magnificè sanctus.

Quodsi post sacrum otii religiosioris
9 octiduum, pietas tua defectuosa, non extendet se ad omnia, & ad omnium utilitates; ac sub oculo DEI JESV, MARIÆ, S. Patris; plebeiâ nonnisi & vulgari sanctitate contentus vives; non apparebis coram DEO magnificè sanctus; & tua conscientia, tibi in aurem cordis succlamabit: *Propter quod inexcusabilis es*, qui & de plenitudine pietatis, & de plenitudine sanctitatis, quæ est in Exercitiis S. Patris, vix aliquid aut nihil accepisti, unde tot alii, magno suo emolumento accepere. & sic tibi unus restabit pudor & confusio.

Puncto III. Jam vide quomodo attestatre Bullâ Sedis Apostolicæ,

piè fidelium animi permoti, documentis S. Patris vel Exercitiis, uberes in Ecclesia DEI universa fructus producant.

Sub DEO, JESU, MARIA, hæc 10.
Exercitia ipsum S. Patrem nostrum Societati minimæ, nobis, imò Ecclesiæ DEI militanti, in novum subsidium genuere. Hæc primos Patres Societatis, semel in semper adjunxere S. Patri, ut nemo illorum vacillaverit. expende. Hæc è primis 11.
Patribus, Petrum Fabrum, in eum refinxêre virum, quem postmodum S. Pater Angelũ vocitaret. Si benè Exercitia S. Patris usurpantur, benè Angelica possumus æmulari charismata. vix exercitia bene faciunt, qui in Soc: JESV cum sua vocatione vacillant. Hæc eadem sub directione & alloquio S. Patris, totum quantum, sua cum pompa, sæculum ex generoso animo XAVERII emoverunt. Hæc XAVERIVM elabo- 12.
rârunt, *in vas electionis, quod nomen*

IESV portaret, coram Regibus & Gentibus: hæc ad Apoſtolatum Gentium acceptandum, diſpoſuerunt: hæc in Thaumaturgum Apoſtolum efformarunt XAVERIUM, cum tanta ubertate fructuum in Eccleſia DEI; quanta, in tot gentibus, & regnis diverſiſſimis, DEVS animarum lucra percepit, ex Apoſtolicis Sancti XAVERII laboribus.

13. Hæc Exercitia Borgiam è medio curſu honorum, à Sereniſſimis titulis, in umbram vitæ religioſæ induxerunt. Hæc P. Balthaſarem Alvarez ad ſummum ſuo ævo perfectionis gradum in Eccleſia DEI elevaverunt. domeſticis, priùs domeſtica. Innuo iam externa. Ipſos Eminen-
14. tiſſimos, Eccleſiæ DEI Patres Purpuratos, in ſanctitate eadem Exercitia S. Patris promoverunt. Vnus interim hic pro omnibus ſatis; Sanctus Carolus Boromæus, quotannis ſacrum collectionum octiduum bis repetens. Erant qui ſemel ſa-

cram

cram octidui nostratis ingressi solitudinem, in semper eximiè sancti ex illa egressi, vivebant, & moriebantur. ita illa sanctimonialis Romana, Maria Bonaventura. de cujus, sub collectiones primò primas, & ultimas, miranda conversione habet P. Lancicius, ad finem recollectionis octiduanæ Si libet licet relegere. certò non pœnitebit laboris lectorem.

Suæ animæ in via DEI excitan- 15
dæ ad proficiendum etiam per ardua, dicebat olim Hypponensis Antistes: *Potuerunt hi & hæ, & tu non poteris Augustine?* Qui toties sacrum egimus, agimusque octiduum, si postmodum segnities adrepit, præduce tepore; similibus illam depellamus cum suo duce; *Potuerunt hi & hæ*, S. Patris Exercitiis, piè in animabus moti, de plenitudine pietatis & sanctitatis evadere magnificè sancti; uberesque virtutum fructus proferre in Ecclesia DEI; nos non

poterimus? Eſt *idem DEVS, dives in omnes* Dominus. faciamus quod in nobis eſt: certè bona facientibus, ſuam ille non denegabit gratiam. Statue ſtatuenda. exequere ſtatuta. Vt poſſis exequi;

In Colloquio ſupplica S. Patri, ut qui tibi & tempus, & ſua conceſſit Exercitia, impetret gratiam DEI efficacem, ad ea obſervanda, quæ ſub collectiones advertiſti obſervatu neceſſaria.

Propoſitum practicum. Conniti ad id, ut adæquatè ad lumen DEI ſub collectiones acceptum, & poſtea accipiendum quâvis occaſione cooperemur gratiæ DEI, noſtram in nobis, non ſine nobis, operanti ſalutem & perfectionem.

Teſſera hodie ſit: *Servus ſciens & non faciens, vapulabit multis.* Lucæ 12. num: 47.

vel hæc. *Hoc maximum homini bonum eſt, ſingulo quoq; die de virtute progredi in virtutem.* D. Chryſoſtom. epiſt: 130.

FORMI-

FORMIDABILIS
Ex Octiduo enata
INEXCUSABILITAS:
SEU MEDITATIO
Supra hæc: *Inexcusabilis factus es.*

SIcut adversùs electos DEI, non datur accusatio, ita si collectus per exercitia, electorum non vivit vitam, adversùs illum accusatio non una dabitur. 2do. Excusatio autem illi nulla. 3tio. Quia nec per electos excusabitur, factus inexcusabilis.

Oratio præparatoria solita.

Præludia quæ supra fuerunt ad prædicta verba: *Propter quod*, his additis, *inexcusabilis factus es.*

Puncto 1. Cogita inprimis illa quæ tibi solatio esse possint. Si sub octiduum, cum auxilio gratiæ DEI, ad mala vitanda, & bona benè facienda, obfirmasti constanter animum; nemo unus erit, qui te corã DEO Judice accuset. Asseveranter id appromittit S. Apostolus ad Rom: 8. num: 32. ubi ait. *Quis accusabit adversus electos DEI?* Confirmatus

matus aut obfirmatus in bono, electus DEI est. Sed necesse est, electorum omnino vivas vitam, & semel inchoatam perfectionis viam, inter quæcunq; adversa continues, ad usq; *bravium supernæ vocationis* expende. Vbi tandem in portu bonæ æternitatis, in auribus DEI, & Superûm, illud celeusma, possis occinere, quod olim adhuc in mari sæculi usurpavit S. Paulus; *Bonum certamen*, inter omnes omnium contrariantium assultus, *certavi*; & semel cœptum in via DEI perfectionis *cursum*, nullibi subsistens; per omnia, nullibi defectuosus, *consummavi*. *Fidem*, quam in meis promissis & propositis DEO dederam, *servavi*.

4. Vide, tuam animam, an hæc, hîc & nunc, possit è vero dicere in auribus DEI. Posito quòd possit, si post octiduum, ulterioribus diebus absimilem electis DEI vives vitam, time accusari. Time accusatorem
5. fratrum sathanam, hominibus, qui mino-

minores natu fratres dicuntur, respectu Angelorum, invidum: time malum illius occursum ad judicium. Indubiè enim stabit contra te, si tu firmo hîc passu, non stabis contra illum, ad imperfectiora te retrahentem. A tua etiam tibi time conscientia; quæ una, si contra 6.
te, tuosq; relapsus testabitur; unum illius, pro mille acceptabitur testimoniis. Gemebat olim Hieremias plorans in threnis: *Vocavit adversum me tempus, ut contereret electos.* Quid si DEVS vocabit & adversùm te, octidui tempus, fortè non unius; ut inter accusatores, ipsa tempora contra te agant? Quis putas ex electis DEI te excusabit? Tu qui alibi disertus eras, probabilissimè ibi obmutesces, illudq; unum cum Jobo, serò pœnitens gemes: *Ad mille non respondebo unum!* Time ne incurras inexcusabilitatem.

Threni 1. n. 15.

Job 9. 3.

Puncto II. Inexcusabilis factus es, sic

ſic expende ultra. Voles poſtmo-
8. dum tuum eviſcerare ingenium ad inveniendas excuſationes in peccatis tuis, ſi, quod DEVS avertat ſubſequentur; nihil invenies, quod in excuſationem obtendas acceptabile.

Defectum luminis vel illuminationum prætendere non poteris, erant
9. hæc in octiduo. Dum olim Joſue, pro Gabaon, contra quinque Reges depugnaret, Solem ſtare imperavit an impetravit. *ſtetitq;* (ait ſacer textus) *Sol & luna, donec ulciſceretur ſe gens, de inimicis ſuis.* Joſue 10. num: 13. Diviniſſimus Pa-
10. ter Noſter JGNATIVS, redivivus tibi Joſue, ſub ſacrum octiduum, pro te ſupplex *ſoli Iuſtitiæ IESV*, ſupplex DEIparæ MARIÆ petiit, *Sta Sol, IESV: Sta Pulchra ut Luna MARIA.* ne movearis, meus qui ſe colligit filius, modo depugnare vult, depugnare jam parat, plus quàm contra
11. quinque Reges, contra inclinationes vitioſas, contra immoderatas
paſſi-

passiones, contra vitia: contra pravos, si qui erant habitus, contra effrenem animum omnium prædictorum ducem. impetravitq; non horas
aliquot, non diem unum ut Josue, 13.
sed integrum octiduum, quo sua cum propitiatione tibi *Sol*, *Iustitiæ Christus*, suo cum Virgineo Materno favore, pulchra ut Luna Divinissima DEI-Para Virgo MARIA adlucebant. Et in hoc lumine non potuisti videre lumen, eradicandis ex animo malis, & inserendis bonis necessarium! Inexcusabilis es!
Non poteris obtendere defectum 14.
gratiæ excitantis. Lethargisat jam ille, quem S. Patris Exercitia non excitant. Tuam consule animam, fortè semisopitam vel semidormientem inferebas octiduo, nonne eã
è periculoso tepiditatis somno, & 14.
illa & illa, tu nosti quæ excitabat meditatio! Ipsa ergo Exercitia, pro gratiis tibi excitantibus erant, propterea inexcusabilis factus es.

15. Sine pia affectione nemo in bonum egreditur opus, hoc verum est. At an una hæc pia affectio, sub tuas collectiones, in tua scintillabat anima? si has scintillas piarum affectionum tua iterum extingvet incuria, ut non exardescat vita tua, in amorem virtutis, in amorem religiositatis, in amorem DEI & proximi; in amorem tuæ salutis, & perfectionis, tuo statui congruæ; vix non actum de te. meliora concipe ne inexcusabilis vivas.

16. *Puncto III.* Inexcusabilis factus es etiam per electos DEI, si gratiis in octiduo acceptis non correspondebis. Inexcusabilis vives & per S. Patrem. Expectavit ille hactenus meliora. securim Iustitiæ DEI vindicativæ, quam toties vindex DEI dextera, ad radicem jam jam demittere volebat, detinuit; sed usq; adhuc: si modo non fructificas arbor sterilis, jam inexcusabilis es.

17. Sanctus tuus Angelus Tutelaris, qui

forte

fo tè hactenus, apud Divinam maje-
ſtatem egit tuî patrocinium, per fra-
gilitatem, per primos hominum mo-
tus, aliaq; ſimilia te excuſando, jam
amplius non excuſabit. Tot anno-
rum, bona tua propoſita meminit,
cum memoria DEI in his collectio-
nibus contulit, præſentavit nova bo-
na intenta, impetravit à JESV ſub-
ſcriptionem promiſſæ emendationi,
ſi non ſubſequetur quomodo S. An-
gelus, audebit te poſtmodum excu-
ſare. Inexcuſabilis factus es, ni 18.
meliora quàm ante facias, & per i-
pſam Diviniſſimam DEIParam Vir-
ginem Matrem MARIAM. toties
illa hactenus, vadimonium pro te ad-
miſit, toties eam promiſsâ emenda-
tione eluſiſti, è vadimonio non eli-
beraſti! dum DEO promiſsa non
exſolviſti: & quantum, ex te eſt,
illam coram DEO, JESV pudefeci-
ſti! *Propter quod inexcuſabilis factus es.*

Probabiliſſimè times tibi ab hac 19.
inexcuſabilitate explicata, quam
ſvavi-

ſuaviter S. Pater comminatus eſt & verbo & ſpiritu Apoſtolico? Ad eã evadendam, apprehende unum cæteris efficacius medium: cura ut fructus collecti ſub ſolitudinem, conſerventur. Conſervati, quot dies augeantur: Aucti in executione maturefcant. Maturati non diſſipentur: ut ſic nova & vetera, ſerves, offerasq; dilecto tuo DEO JESV. nullusq; dubita, quia non vives inexcu-
20. ſabilis. In uno hoc plura ſunt, verum eſt. At omnia hæc facilè fient; ſi annuæ, octiduanæ, quotidiana brevior ſuccedet ſolitudo, luminum octidui, rememorativa: eaq; ſolitudo per omne publicum circumlatitia, Religioſo. de qua in reflexione. interim

Colloquiũ inſtitue de tuis negligẽtiis, deprecatorium ad JESVM, Diviniſſimam DEIParam Virginem MARIAM S. Angelum Tutelarem. S. Patrem ſingulisq; meliora pollicere.

Propoſitũ practicum: efficax timor DEI, & tuæ coram eo Iudice, inexcuſabilitatis.

REFLE-

REFLEXIO
De quotidiana hominis Religiosi solitudine.

OCtiduanam finivimus, DEO auxiliante, sacram solitudinem, quotidianam, non minus sanctam, nobis utilem, DEO placentem, attentemus ædificare.

1mo. Job in sacra pagina multis dilaudatus, (videri possunt sua encomia, primis de illo capitibus,) Inter cætera hoc tulit elogium, *Cui non erat alius in terra similis, qui & in labiis suis*, ubi plurima subnascuntur peccata, *non peccavit!* Expende. Hic consummaturus sanctitatem, desiderabat annumerari *Regibus & Consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines.* Si cætera fortè desunt, nobis Jobi elogia; saltem sanctitatis, aut perfectionis inchoatæ velimus pertexere & perficere telam. Simile igitur desiderium excitandum est, quotidianæ ædificandæ sanctæ solitudinis nostræ.

2do.

2do Te DEVS meritis inopem, à terra suscitavit, ad sublimiorem religiosæ vitæ statum: collocavit cum iis, quos terra sæpiusculè tanquam oracula sua consulit. Collocavit inter populi sui Principes, quorum plures sibi ædificant suas intra se quotidie solitudines, proprio labore. Par igitur est, ut simile solitudinis sanctioris ædificium attentes & pro tua sanctitate, vel perfectione in tuto mansura.

3tio. Octiduana, annuatim recurrere solita nostra solitudo, non est nostræ ædificationis. S. Pater suo instituto, & exemplo, illi posuit fundamentum; Religio suis eam decretis erexit. Sancta consvetudo perfecit, perficitq; sola nostra bona voluntas, in cubiculũ solitudini à superioribus paratum, infertur. Nec potest hæc solitudo circumferri cum religioso. Quia cubiculo solitudinis relicto, in progressu ad homines relinquitur ut plurimùm tota solitudo,

ac nisi homo sibi consulat, aliamq; eius loco substituat, sensim sine sensu, à collectionibus dissipatus, adgemet brevi absentiæ solitudinis: *O beata solitudo! o sola beatitudo!* tuam fortè quoad hoc habes experientiam. Ne adgemas, aves video *tobe* desideratam, privatam, ædificare solitudinem?

4to. Innuo, quî id fieri possit. Singulis diebus, secede saltem ad horam, aut sæpiùs ad aliquod brevius temporis spatium, in conclave soli DEO notum, tecum circumferibile: in quod sine ullo passu corporis secedere potes, etiam in maximo affluentis populi publico; tantùm id cave, ne ullus tecum illud ingrediatur, & certò habebis solitudinem sanctam, beatam, DEO placentem, eamq; circumferibilē tecū.

5to. Explico prædicta: Per Sanctos Patres, & Ascetas; cor humanum pro conclavi hominum secretiore, accepit Christus, ubi monuit:

Cùm

Cùm o as, intra in cubiculum tuum, & claude super te ostium tuum. puta sensuum tuorum portas. Conclave igitur tuum soli DEO notum, cor tuum est. ad cuius arcana, tu & DEVS clavem habet; hoc ubivis locorum tecum est. In hoc secedes, nullum corporis passum faciendo, quia intimum tibi est. In quacunq; enimverò omnium statuum & negotiorum frequentia, modò velis, nemine advertente, illud ingredi poteris. Quia benè notat S. Bernardus: *Secedes illuc, mente non corpore.* mens autem humana, invisibilis est hominibus, modò regimen illius teneat homo.

6to. Hanc olim Divus Bernardus suis Ascetis commendatissimam, brevibus svadebat, solitudinem. *Secede mente non corpore; sola tibi mentis & Spiritûs ab omnibus terrenis expediti, indicitur solitudo, quæ DEO placet: modò secede solus.* expende singula.

7mo. Quid porrò sit solum homi-

nem

nem ſecedere, in conclave cordis; innuit S. Doctor Aſceticus dum ait: *Solus es, ſi communia ſæculo non cogites.* expende hæc, diligenterq; adverte, an S. Bernardus, octiduanam etiam tuam ſolitudinem, vellet dicere perfectam ſolitudinem? *Solus eras corpore*; bene eſt. at vix mente ſolus, ſi *aliqua ſæculo communia cogitâſti!* Supplendum omnino eſt quotidianâ breviori ſolitudine illud totum, quod fortè ſubtractum eſt, quoad hoc ſolitudini, nec uni octiduanæ, tuam vide conſcientiam.

8vo. Exſpectas id explicatius habere, quid nam ſit communia ſæculo non cogitare? Non deeſt tuæ expectationi D. Bernardus, & aliqua innuendo, pergit in gratiam tuî explicare, modo tu ſingula velis, tuo bono penetrativè expendere, explicataq; ſervare. *Communia ſæculo non cogitas.* ait ille 1mo: *Si præſentia non affectes.* Tuos hic circumſpice affectus, fortè ad omnia præ-

ſentia

sentia placita, in omnes partes sese extendunt, & quomodo sæculum non cogitas, si tales pateris, aut quod pejus est, habes affectus ad præsentia? 2do: *Si illa despicias, quæ multi suspiciunt.* Timebis aliis despectui esse, si despicias illis æstimabilia? sic non solus eris, & præter inutilem timorem, habebis tecum quæ appetes in animo, ea quæ suspiciuntur. 3tio: *Si ea sæculi fastidias, quæ omnes filii sæculi desiderant.* Tua in quolibet ingressu solitudinis cordialis, excute desideria; an aliquid secum non traxerint, aut non trahant, sanctæ solitudini adversans. 4to. *Si damna non sentias.* 5to. *Si non recorderis iniuriarum.* 6to. *Si iurgia devites.* Hæc S. Bernardus serm: 40. in Cantica. Adde ex Apostolo, 7mum: *Si pro minimo habeas ab humano die iudicari, & æstimari:* ac illud eligas non audire! *Quid dicent?* expende hæc accuratè.

9. Inter cætera, injurias, sive illæ

veræ, sive apparentes fuerint: estò utræq; ad cor penetrârint, è memoria omnino abolere velis; quia alias, nunquam solus eris. Tecum vivent, si resident in memoria; te toties, & toties interturbabunt, etiam dum summam appetes quietem; & exteriora vitando; indubiè incurres in jurgia interiora, solitudini quietiq; cordis, & animæ, inimicissima.

10. Non pauci crede sunt in hominibus, qui metu, vel alia circumstantia prohibente, non possunt extra jurgari: intra autem, ineptos, peccaminosos, & plenos jurgiorum instituunt, in animo suo dialogismos. Aliorum affectus, quasi parum sibi addictos in scenam inducendo, multis loquentes, audiunt; pluribus ad objecta intus jurgantes respondendo: Et sic dum videntur ore devitare, corde instituunt nec devitant jurgia & rixas; quasi de Rixa matre sint progeniti! Hi, nunquam soli sunt, etiam in secretissimo conclavi; sed

fed cum eis, tot funt jurgia, quot jurgiorum materiæ: tot materiæ ad intra jurgiorum, quot injuriæ in memoria radicem fixerunt, & non abolitæ de memoria. Si autem hæ radicitus evelluntur, & prædicta fervantur; jam nec fæculum, nec ea, quæ fæculi funt, cogitabis: fecedes folus, in cubiculum tuum interius ad beatam folitudinem, DEO placitam: tuis bonis intentis ac paci internæ accommodam.

11. S. Pater JGNATIVS, in confertiffimo etiam publico, nemine advertente, in conclave fui cordis, ad breve fpatium fefe recipiebat: & cum anima fua rationem inibat breviffimè, an fub horam præteritam, omnia illi horæ deftinata bona, bene fuerint peracta, an adæquatè, ad lumen internum, ad inftinctus DEI, ad fancta propofita, & ad leges prudentiæ. expende hæc, quæ habentur ex hiftoria vitæ S. Patris.

12. Viden in domeftico prototy-

po,

po, quòd ſub DEO, JESV, MARIA, in oculis mentis habere debemus: quia extra annuam, octiduanam ſolitudinem; quotidianam circumferibilem, & non minùs ſanctam ſolitudinem nobis, ad guſtum DEI, ſalutem & perfectionem animæ noſtræ, ædificare nobis cum gratia DEI auxilio poſſumus, modò velimus. Eccur nolimus quod facilè poſſumus? experire id amore DEI, & ſi quæ erat mox evaneſcet difficultas. quia DEVM amanti, nihil ulli arduum unquam fuit, nec tibi erit, ſi primis ſaltem vicibus te pervincere curabis.

13. Cave tamen, ne ſolitudine internâ mentis, per quam te toties in tuum cor recipis, contentus; ſolitudinem externam, quam homo in ſuo cubiculo habere poteſt, contemnas. Religioſi cubiculum, privatum eſt illi ſanctuarium. in quo legit, orat, gemit &c. ſoli DEO no-

tus,

tus, à quo ut ait Rex Propheta, & gemitus non eſt abſconditus.

14. Amor ſolitudinis internæ, non excludit amorem ſolitudinis externæ: ſed per hanc, illa juvatur. Non eſt hujus loci, amorem cubiculi religioſi commendare, quem ſuæ Hagiophilæ pluribus commendavit R. P. Barry, Aſceta ſtyli innocui & ſapidi. Ne homo per aliena erit circumvagus cubicula, ſatis eſt ſemel acceptum, ſemper meminiſſe illud, quod Eccleſiaſticus c. 21. n. 25. cœlo approbante ſcripſit: *Pes fatui, facilis in domum proximi.* Oderimus fatui nomen, & rem, quæ ad infame conſequitur nomen, vitabimus.

FILIALIS,
Ad Paternam Comminationẽ, SUBMISSIO.
SEU MEDITATIO.

Super Residuum à Comminatione Paterna Verbum. O homo!

1. DOlet id S. Patri, si fortè in ipsa vitæ religiosæ adolescentia acceptis talẽtis cœlitus, in lucra gratiarũ, salutis & perfectionis nostræ, monente etiam Christo, negotiari neglexìmus. 2do. Sed magis dolet, si octiduo sacro toties repetito, congesta in nos DEI dona & collecta: 3tio. A collectionibus, ad extra effusi; quasi cum illo filio prodigo peregre profecti, dissipamus.

Oratio præparatoria solita.

Præludio I. Imaginare, quod S. Pater in melius restaurandam religiosam vitã expectans non dignatur interim te filii nomine, sed communi compellat, O homo!

Præludio II. Sub oculo DEI, JESU, MARIÆ adjice te ad plantas S. Patris, & tantùm non cum prodigo filio, geme cordialiter, *Non sum dignus vocari filius tuus!*

Præludio III. Pete gratiam instituendæ meditationi, ad instaurandam efficaciter in melius vitam.

Puncto I. Cogita quod olim D.
1. Chrysologus sæculis consignavit subsecuturis : *Nulla ætas immatura DEO*, ad capessenda DEI dona, & ipsam DEI hæreditatem, & ipsum in hæreditate DEUM ; de quo loquitur Rex Propheta *Hæreditas mea mihi.* jam vide an DEUM, qui tua voluit esse hæreditas, te suis præveniendo gratiis, à primis hæreditaveris saltē vitæ religiosæ annis, O homo!

Multa tibi contulit adolescenti-
2. ori, ante maturitatem ætatis, (& forsan ingrato,) DEUS, ad sanctiorem evocando è sæculo vitam!
Multa contulit S. Pater, te meritorum staturâ pusillum, vix non nullum ; ad minimam Societatem ad-
3. mittendo. putasne admisisset te Societas militans, nisi in triumphante Societate Sanctus Pater te JESV, & propitiationi ejus admittendum

præ-

præsentasset, & ipse admisisset! Non unam portionem aliquam, sed tantam cœlestium gratiarum, donorumque in tuam salutem, substantiam contulit DEUS tibi uni; quantam, si tuam benè dispicis conscientiam, ipse in lumine DEI advertere potes! Ubi ergo, & quæ est in bono donorum usu, tua correspondens, saltem ad æquivalentiam, acceptis gratitudo? An non 4.
te ingratum, in Filio prodigo, sua in parabola adumbravit Christus? Cogita, & fortè invenies, quia mutato nomine, de te, non iam parabola aliqua, sed ipsissima veritas, ab ipsa enarratur Veritate Æterna, quia non es dignus vocari filius S Patris, O homo!

Poteras supplex, Universalissi- 5.
mo omnium Patri DEO, postulare; poteras saltem de congruo te disponere ad Divina in tuam salutē conferenda tibi charismata. (Novit enimvero Dominus, tuque sub

DEO nôsse posses, quæ tua postulatio, quæ quoad prædicta fuit dispositio ;) at non poteras dicere DEO nostro, *Da mihi Pater portionem quæ*
6. *me contingit* ; quia cœlestia in salutem dari solita dona, non veniunt debiti nomine, sed gratiarum, quæ gratuitæ sunt : & prima gratiarum, non cadit sub meritum, sed ipsa est initium meriti. Pientissimus tamen DEUS Pater, qui tibi nihil debuit, ad instantiam Divinissimæ
7. DEIParæ Virginis MARIÆ, ad instantiam S. Patris IGNATII, cum una vocationis gratia, ad sublimatam nomine Filii sui JESU Religionem, omnia tibi contulit ! si non ad invidiam, certè ad usq; admirationem eorum, qui te huic sancto instituto parum aptum noverant ! ex-
8. pende, & adora profusissimam in te liberalitatem DEI : sub Divinissima DEIPara Virgine MARIA, quam fortè pro Matre adamatam, in plurimis negotiis expertus es,
plus-

plusquam Matrem ;(tecum hæc recogita :) æstima, reflexus supra te, propensissimam in te voluntatem S. Patris cum optimo affectu Paterno : & cogita ultra.

Monente JESU, acceptis cum 9.
vocatione talentis, negotiari debuisti, donec rationem redditurus in conspectum Judicis DEI venires. Te vide, si, hic & nunc evocareris ad JESUM Judicem, quid afferres lucri! forsan alia de acceptis talenta, tuâ depretiâsti tepiditate; alia in segnitie, aut profanis, terrenisq; cogitationibus defodisti! Meministi, quomodo sine abusu talenti, integrum illud suo Regi restituens absq; lucro, emeritus est segnis homuncio hunc titulum; *serve nequam*! Time ô homo, ne, si 10.
acceptis sub octiduum sacrum gratiis, exhinc melior evadere negligas; hominis etiam nomine amisso, simile quid de ore DEI JESU, ad tui confusionem audias, & ser-

vus nequam voceris, cui S. Pater condolens, dicit nunc ô homo! promitte meliora primis: at simul humilia te S. Patri, & repetitò dolentissimè ingemisce, *Non sum dignus vocari filius tuus!*

Puncto II. Cogita in te ulterio-
11. rem DEI nostri liberalitatem, quem profundè iterato adores.

Non satis erat DEO nostro, se-
12. mel, ad ipsa vitæ Religiosæ exordia, pleno sinu, in tuam animam effundere ea dona, & auxilia, cum quibus tuam salutem, & perfectionem operari posses. Sensisti indubiè illa tunc: Sentisne, & quare non sentis, quare non æstimas etiam nunc? Non satis habet DEVS etiam singulis diebus te in numerum filiorum lucis dirigere, si te de mane, non cum Daniele ad orientem Solem, & formicis communem; sed *ad Solem Iustitiæ, IESVM, eius Filium*, obvertis per meditationem, quæ hominis religiosi quoti-

diana

diana quodã modo est collectio, si
secundùm additiones S. Patris insti
tuatur. (Sicne instituitur? accepta- 13.
turne directio in viam filiorũ lucis,
quæ sub meditationes tribuitur, ser-
vaturne accepta?) sed insuper du-
ctu S. Patris, ipse IESUS, verbi dati
memor, suæ propitius Societati, te
quotannis assumit in octiduum, du-
cit in solitudinem, in qua per exer-
citia S. Patris tibi loquatur ad cor.
Audires ibi attentus; ô quot! &
quanta edisceres mysteria salutis,
& perfectionis, tam tuæ, quàm ali-
orum, tibi commissorum! Audisti
fortè: Cur non meministi? Prima 14.
non satis memoria, quæ animæ po-
tentia est; habeturne saltem secun-
da memoria; quæ coordinata ad
cor, efficaciter rememoret occasio-
nibus liberioribus? Si habetur, cur
ea, ad quæ commemoranda utraq;
concurrit memoria, non apparent
in operibus, ut videant hi qui tibi
convivunt, opera tua ex integro

bona, *& glorificent Patrem qui in cœlis est!*

Audiſſes attentus ſemel ſub col-
15. lectiones DEUM ad cor loquentem; & audita in ſemper conſervaſſes, ô quam opimam collegiſſes meſſem, ſi ſic audiendo; vel unis collectionibus te impediſſes, & ſuperimpendiſſes, totum totaliſſimè, adæquatiſſimè! ſi non impendiſti ô homo! adgeme pedibus S. Patris; *Pater peccavi!*

Habes in numerato quot egiſti o-
16. ctidua: meditationum quot dies habitarum, ſi tamen ut par eſt habitæ, fortè nec numerum facilè inire potes! Olim populo DEI, ſingulis diebus, per annos plures, per modum roris, manna in cibum, deſtillabat cœlum. ſingulis meditationum horis, tu nôſti quot iam annis, animam tuam, DEUS JESUS ſuis irrorabat gratiis! ecquæ tot gratiis repenſa gratitudo? cùm tamen una nonnonſi exſpectaretur inſpirationum

tionum sanctarum exsecutio! at ubi 17.
verò te ad octiduum sacræ solitudinis, colligebas in cubiculum; & clausum sæculo (ut opus erat) aperiebas cœlo animum: apertis quodammodo cataractis, cœlum in tua diluviabat defectuosa, & tuis contriti cordis lacrymis ea eluebat; DEUS JESUS, Societati propitius, sua in animam tuam depluebat liberalissimè dona! ubi hæc omnia? an omnia hæc non diminuta, an in tuto apud te sunt omnia?

De singulis collectionibus, si non acervos, saltem plenos messis opi- 18.
mæ manipulos, S. Pater tuo nomine offerre; DEUS, JESUS, & Divinissima DEIPara Virgo MARIA, Mater Societatis Parvulæ, acceptare exspectabant! & tu quandoque fortè nec maturatas spicas, cum Ruth, de tanta messe ad exitum tuarum collectionũ collegisti, consequenter nihil de octiduo obtulisti; exspectationem DEI, JESU,

MARIÆ, S Patris elusisti, ô homo, quis es!

19. Habesne saltem in numerato omnia, cognita tibi sub quodvis octiduum ante peractum bona data, de sursum descendentia à Patre luminum DEO? an etiam in cognitione horum bonorum non defecisti? Dona DEI, præcipuè insigniora, non nosse, ingrati est: cognita non æstimare, ingratissimi; æstimata, pro temporis opportunitate, circumstantiarumque exigentia, in publicum bonorum operum non educere, vix eius est religiosi, qui Sancto Patri JGNATIO nomine filii venire possit.

Unum est, quod talis homuncio
10. de ore S. Patris magis quàm aliàs dolentis accipiat; ô homo! qui donorum DEI vivis incurius, & tibi quoad bona æterna, malè providus! Tuam id loci consule animam, quid exhinc par sit te facere: qui collecta sub collectionum octiduum,

duum, fortè hactenus, magno S. Patris dolore, majori tuo malo vix non dissipabas!

Puncto III. Nosti nullus dubito, tritum illud, Felix quem faciunt 21.
aliena pericula cautum, & hanc tibi obtingere felicitatem desideras, ut alieno (si tuum necdum es expertus) tandem periculo, meliora sapias, cautiorve vivas. Vide *non in destructionem, sed in ædificationem*, illum adolescentiorem parabolici Patris filium; qui bene olim congregata, malè postea dissipavit: ex illoq; uno, infelicitatem à qua tibi cavere debeas, & felicitatis viam compendiosam, quam tenere possis, edisce.

Hic dum sub vigili Patris oculo
vivebat, adolescebat feliciter. do- 22.
mi latere contentus, excursiones & publicum nec somniabat. communia cum fratre majore natu habebat gratus: eademq; de manu Patris exspectans, proprietarius esse

non cogitabat: solatio sui parentis domesticorumq́ue, ætate & probitate proficiebat: in conclave à Patre sibi destinatum, identidem sese recipiendo, DEO, sibi & suis rebus vacabat: ab omnibus liber curis; bene quoad omnia provisus; manebat beatus: ac ratus nihil sibi deberi, dum partē, quæ sese contingere posset, non exigebat, totum in domo paterna habebat. Expende. Et hæc parabolici patris filio adolescentiori fuit domestica prosperitas, quā utinam sibi adolevisse permisisset, vixisset multis aliis felicior, nec infame prodigi, bona omnia dissipantis, induisset nomen.

Adama paternam domum, & bo-
23. norum communicationem idiomatum cum filio adolescentiore cura habere, ac usq́ue in senium conservare: nullusq́ue dubita, quia tibi in via DEI proficienti, non modo adolescet, sed maturabitur religiosa felicitas. Iam vide initia malorū;

pro-

progressum in pejora, & auctarium infelicitatis, quænam fuerint filio adolescentiori.

Initia malorum probabilissimè 24.
hæc fuêre. In ampla domo Patris, in qua etiã tot mercenarii propter abundantiam panis, vivebant, obvertit oculum adolescentior in exempla sequiora: ignarus, quia & oves Iacobi colorem mutârunt, ubi decorticatas adspexerunt virgas. sociari libertinis, in otio cum eis plusculum confabulari: ex affatu illo mutuo, delibare licentiosæ libertatulæ gustum: vigilem Patris oculum declinare: suorum defectuum delationibus ad Patrem, plus justò, indignari: filialem ad Patrẽ confidentiam, & in dubiis recursum imminuere notabiliter cœpit. hæc illi malorum fuere initia vide ne unquam tibi sint, illius memor, quia nemo repente malus!

Progressus in pejora quis putas 25.
fuit? mihi fuisse hic videtur. Olim

sui

ſui amans conclavis, otioſus domeſticas obire officinas, etiam vetante Patre; in ſingulis earum, ſibi partem oculis deſignare: animadvertente ſuper hoc Patre, paternam correctionem faſtidire, tum contemnere; intra ſe contra eandē muſſare, murmurare cum aliquibus; tandem & impetuoſius in auribus iam plurium de eadem conqueri auſus eſt. et cui omnem debuit, omnem ante habuit reverentiam Patri, mox eidem barbarè locutus: *Pater! da mihi portionem*, de illa, & illa, & illa officina, *quæ me contingit.*

En licentioſa cum libertinis converſandi ratio, in barbaram impudentiam; an impudentem barbariem adoleſcentioris deſiit. Cave libertinos, ne barbarus in Patrem, audiare, ſi vel ſemel cum illo barbare egeris.

Auctarium infelicitatis parabo-
26. lici filii lege Lucæ 15. Ubi pientiſſimus Pater importunitati filii ceſſit-

ſit, *adoleſcentior congregatis omnibus, peregre profectus, in regionem longinquam, diſſipavit ſubſtantiam ſuam: in religione illa fameſcente, & ille cœpit egere, fameſcere: unde uni civium ſimplici, pro ſervo adhæſit; in villam miſſus, eandem cum porcis, quos paſcebat, menſam, in ſiliquis;* & adhuc valde parcā, *habebat: et à porcis ſuas ſiliquas, illi negantibus.* ſed hæc obiter decurriſſe ſatis legendo. quia quæ DEI gratia eſt, & à vitiis, & ab infelicitate filii prodigi procul eſſe accuramus, qui vivimus in religionibus.

Iam rerum nos circumſtantium analogiam, cum prædicta parabola videamus. Quicunq; DEO fideles, etiam in religionibus ſacratiſſimis, necdum comprehenſores, ſed viatores ſumus, in domo, communis noſtrûm omnium DEI Patris, filii adoleſcentiores vivimus. utinam ejus ſolatio, noſtræ felicitati, ad bonam adoleſcamus æternitatem! ſicut enim tam in Eccleſia, quàm in 27.

una

unaquaq; religione, post exactam vitæ militiam, iam triumphante, fideles DEI, cœlo recepti, seniores, (utor verbo parabolæ) filii sunt: sic tam in Ecclesia DEI, quàm in unaquaq; religione, & in Soc: IESV minima, in subsidium novum, Ecclesiæ cœlitus ordinata, ac bonâ militante militiâ, quicunq; vivunt, vivunt fili adolescentiores, respectu triumphantium fratrum suorum.

28. Omnes DEO fideles, dum in Ecclesia sancta vivimus, vivimus in una Domo DEI: unumq; singuli in cœlo compellamus, Patrem nostrum, cui in corde adspiramus, *Pater noster qui es in cœlis!* Singuli in hac domo DEI, quæ Ecclesia sancta est, attinemur *unanimes cum consensu ambulare*, quibus unum quo-

29. dam modo sit *cor, una anima.* quia in hac domo DEI sumus, ubi sunt quidem divisiones gratiarum, at non sunt, saltem non debent esse scissiones partium: sed omnibus & singu-

ſingulis, in hac domo DEI, totum
eſt, quidquid ſanctum eſt: de uno
enim pane Euchariſtico vivimus,
quo cœlis educamur & nutrimur;
de quo fides eſt, quia ut totum ſin-
gulis, ſic totum omnibus datur in
eo. Quodſi hactenus præjacta de
Eccleſia DEI, omnes complexa fi-
deles, tantò magis procedunt de 30.
religione, quæ ſenſu omnium, po-
tior pars eſt Eccleſiæ DEI. ſingu-
lis earum, olim Rex Propheta in
ſpiritu accinebat prophetico, *Ecce
quàm bonum habitare fratres in unũ*,
ubi non ſunt partes, non eſt ut ait
D. Chryſoſtomus *Meum & Tuum fri-
gidum* illud ſine charitate *verbum*:
ubi nemo unus, non ſenior, non a-
doleſcentior depoſcit partem ſe
contingentem, ſed quivis de manu
DEI, de manu Patris exſpectat
quod ſperat, ſicne noſtrâ contenti
ſorte vivimus? Amemus ſortem
noſtram, adamemus Domum no-
ſtram, in qua omnes abundant pa-
nibus,

nibus, ad vitam æternam alentibus.

Vivimus in domo hac DEI JE-
1ma Pe- SU, ut ait S. Petrus, *vivimus secun-*
tri 4. *dùm DEUM in spiritu*, collecti ut
31. plurimum, & præcipuè sub quodvis sacrum octiduum, ubi omnia saluti & perfectioni nostræ; si autem id ratio nostri deposcit officii, omnia bona, etiam saluti & perfectioni proximorum subservitura de liberalitate DEI JESV congregamus, specialiori gratiæ ejus auxilio adjuti. Si tamen congregare non omittimus, per nostram desidiam.

At si collecti intra nos per nostras
32. collectiones, postmodũ peregrè proficiscimur; aut quod pejus esset, si in longinquam abimus regionem: vix non simile subimus periculum illi, quod subiit filius adolescentior parabolicus. expende obiter. In longinquam à DEO JESV regionẽ abit, qui graviusculè peccat, & sic bona salutis omnia dissipat; non alias nisi de specialissimo DEI auxi-

lio

ſio colligibilia, quod fortè in ſuis electis rariſſimè permittit DEUS JESUS. Qui verò peregre proficiſcitur, ſaltem diſſipandorum 33.
ſubit periculum donorum DEI. expende. Peregre proficiſcitur, qui ſub octiduum collectas, mox permittit diſſipari cogitationes bonas in varia. peregre proficiſcitur, qui ad negotia cæteroqui ad ſe ſpectātia, exteriora tamen, totum ſe effundit; quibus nonniſi ita ſe commodare debuit, ut majori melioriq; ſuî parte, intra ſe collectus maneat. peregre proficiſcitur, qui non in imitationi bonorum exemplorum, ſed uni criſi, ad aliena magis attendit, quam ad ſua facta. peregre profi- 34.
ciſcitur, qui nuper ſub octiduum ſacrum totus DEI; hodie in converſatione ſuperflua, totus hominum; nullus etiam ſui: qui ſi ſua oblitus ſanctè ſancita, ſaltem illius debuit eſſe memor, quod olim Seneca Philoſophus, ſuo concluſit experi-

perimento, *Quoties inter homines fui*, puta citra exigentiam officii, *minor homo ſemper redii.* peregre proficiſcimur, ſi domo religioſâ egreſſi, religioſitate in umbris domeſticis
35. relictâ, eam in publico ad ædificationem proximorum non circumferimus nobiſcum, ſervandis ſub octiduum ſacrum bonis, malè providi. Suam teſtudo loricam ſecum circumferendo, ubi ubi fuerit in tuto eſt, cum omnibus: nihil de ſuis, nihil de ſe amittit. ille religioſus, omnes & ſingulas ſecurus incedit vias, qui tardè, nonniſi animarum lucro ſe evocante ad extra, cæteris paribus, ut teſtudo movetur, pro lorica autem è ſuo inſtituto ſuam circumfert ſecum religioſitatem: ne ſubeat periculum diſſipandi ea, quæ ſub collectiones, & DEVS in eum liberaliter congeſſit, & ipſe accuratiſſimè collegit. Vidiſti in parte quid ſit peregre, non ſine periculo diſſipandi ſpiritûs, profi-

ciſci:

cisci: tuam de præterito consule experientiam, an non sic contingebat. & si tua conscientia tibi attestabitur, de non vitato olim hoc periculoso *Peregre proficiscitur*; in auribus S. Patris, Divinissimæ DEI-Paræ Virginis MARIÆ, DEI JESV, meliora ab hoc immediatè exacto sacro octiduo pollicere, filialemq; S. Patri & ejus instituto summissionem in semper servare allabora.

Colloquium deprecatorium, quod mota in bonos affectus voluntas, ex his verbis, *Pater peccavi in cælum & coram te*, potest formare, instituatur ad singulas Sanctissimæ Trinitatis Personas, ad JESUM suo nos nomine consignantem. si per durabit affectus, institui potest & ad Cælites, præcipuè ad Divinissimã DEI-Param Virginem Societatis Matrem, & ad S. Patrẽ nostrum.

Diviniſſimæ DEIParæ Virgini MARIÆ, Matri Societatis JESU, Recommendatio Collecti PATERNA. SEU MEDITATIO

Super hæc verba: *Mater Parvulorum MARIA.* D. Bonav: ſup: ſalve.

Oratio præparatoria ſolita.

Præludio I. Imaginare quia S. Pater tui profectus in ſpiritu ſtudioſſimus, te illis ſacri eloquii verbis, *adhuc reliquus eſt parvulus*, recommendet *Matri parvulorũ, Matri Societatis, Diviniſſimæ DEIParæ Virgini*, ut tandem ſub ejus Materna cura, *creſcas in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.*

Præludio II. Erubeſce quòd & cibo grandi, cibo Euchariſtico alitus, parvuli nomine audias toti cœlo & Reginæ cœlorũ MARIÆ. peteq; gratiã inſtituendæ meditationi, ut aliquando creſcere incipias.

Puncto I. Recogita quem te accepto cælitus lumine ſub collectiones vidiſti. Vidiſti te parvulum profectu in ſpiritu, inter tot & tanta media proficiendi! parvulum meritis, inter continuas merendi opportunitates! parvulum ſen-

ſu,

su, & sapientia cœlesti, ad tantam DEI lucem, quæ in Societate doctoribus DEI fere perpetim, per viam meditationum spargitur, parvulum, cui planè nunc elementa virtutum condiscenda sunt, dum aliis virtutum scientiam, exemplo tuo instillare deberes! parvulum cui ad proficiendum in via DEI, lacte opus sit suaviationũ divinarum, non solido adversitatum cibo; quem ampliùs & ampliùs desiderabat XAVERIVS. expende. Ingemuisti probabiliter tunc, & ingemiscis etiam 2.
nunc ad hæc, quia omnibus aliis in Societate I E S V minima proficientibus & succrescentibus, tu vix non unus, qui per tempus vitæ religiosæ in virum perfectũ evasisse poteras, adhuc reliquus omnium in sancta Societate viventium parvulus es! cadis animo! Spem concipe firmam, & dum te S. Pater Divinissimæ DEI Paræ 3.
Virgini Societatis Matri his commendat, *Adhuc reliquus est* iste in meis filiis *parvulus*, spera quia sub DEI IESV propitiatione, Materno Beatissimæ favore, cum auxiliis gratiæ DEI, cresces, modò efficaciter velis, in virum perfectum, cujus palato & adversitatum cibus sapiet,

Puncto II. Seraphici Doctoris ductu.
Cogita jam Matrem parvulorum MARIAM. Maxima illa inter Puras creaturas, 4.
quam nec Angeli, nec omnes creaturæ intel-

intellectuales adæquare possunt, parvulorum esse Mater non dedignatur! quia Mater ejus est Filii I E S V, qui olim sinebat parvulos venire ad se. expende & imitare, fidenter igitur ad hanc parvulorum Matrē accede, qui pavulus es, ut debes esse in oculis tuis. Qui in Societa-
5. te minima vivimus, parvuli M A T R I S MARIÆ vivimus, quia singuli nomine JESV Filii MARIÆ consignamur, qui proficiebat ætate, sapientiâ, & gratiâ. Minima de tribubus religionum Societas
6. J E S V, sic S. Patre volente, dicitur, ut Parvuli JESV & MARIÆ *nominemur & simus.* expende. Parvuli, sunt domestici suæ Matris! domestici planè; paludamēto Reginæ cœlorum M A R I Æ protecti vivimus, qui vivimus in Societate. *Omnes domestici eius*, domestici MARIÆ vesti-
7. untur duplicibus cœlum ingressuri. Exules è paradiso protoparentes, pelliceis in tunicis expediti! E paradiso hoc, qui est suis Societatis JESV, duplicibus vestiti, non morticinis pellibus, in patriam cœli redire debemus, & cum gratia DEI possumus, modò collaboremus. Nobis inter
8. alios, propter nomen J E S U super nos invocatum, succlamat Apostolus *Induimini Dominum nostrum I E S VM Christum*, qui vos suo dignatus nomine: acclamat nobis Seraphicus Doctor, *MARIAM induite*

duite quotquot eam diligitis, en investitura duplex! Quomodo enimvero MARIAM JESV Matrem non diligamus pro nostra Matre, qui sicut sub IESV nomine, ita sub MARIÆ vivimus & morimur pallio. *Rebecca* olim Jacobum, *investivit vestibus valde bonis, quas apud se habebat*, 9.
& ad benedictionem paternam illi evincendam sic profuit, ut parvulus obtineret. Habet in sua manu, Mater parvulæ Societatis, MARIA quibus nos induat singulos, ut *Christi bonus odor simus*; 10.
& tandem illud de ore DEI Patris audiamus *Venite Benedicti, &c.* Et non amabis hinc corde Kostkoviano! & non amares corde, si haberes, Seraphico MARIAM Matrem parvulæ Societatis! qui unus reliqvus eras hactenus parvulus in tua ad 11.
eam devotione? Hanc in cæteris time parvulitatem devotionis in Divinissimam DEIParam Virginem: & cresces DEO.

Puncto III. Vis compendiosam scire viam ad Magnates cœli? aperit illam Ec- 12.
clesiasticus c. 23. v. 18 *Memento Patris tui, & Matris tuæ; in medio Magnatorum consistis*. Sub DEO IESV, de cuius sangvine regeneramur, si Magnæ fidelium, Magnæ parvulorum; Magnæ parvulæ Societatis Matris MARIÆ memor; ad eam 13.
recurris fidenter, crescentis devotionis affectu; & constanter tenes viam DEI; & perfectionis, tuo tibi instituto circumscri-

pta

ptæ, ſpera quia in medio Magnatorū cœli conſiſtes. Cogita univerſalem theſim, ex
14. qua inductionem facile induces particularium. Quicunq; tam de Eccleſia DEI, quàm de religionibus, & de minima Societate IESV, in ſuis oculis parvi, ſed Magni MARIÆ cultores vixerunt; iam cœli Magnates ſunt. expēde hanc nunc, quàm olim videbis veritatem. Parvulus es in tua perfectione, memento Matris parvulorum MARIÆ, & te vix ſentiente creſcet tecum perfectio, cuius forte exorſus es telam ſub octiduo. Inconſutilis IESV
15. veſticula, MARIÆ manibus deſuper contexta, traditio Eccleſiæ eſt, quia creſcebat cum IESV uſq; ad Crucem & mortem IESV. Ex inſtantia MARIÆ, trama tuæ perfectionis inchoata, propitiante IESV, creſcet tecum uſque ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. Spiras corde, fiat, fiat? quod in te eſt, fac ut fiat.

Colloquium inſtitue affectuoſum ad Diviniſſimam DEIParam Virginem, vt te & Auctorem huius octidui in ſuis parvulis numerare, & cœlo educare dignetur.

A. M. D. G.

TABELLA

Materiarum hoc Libello contentarũ.

Hæc præmittenda Octiduo:

DIE PRIMO:

Sacri Octidui Meditationes,

Ex Fundamento Exercitiorum Sancti Patris.

DIE

TABELLA

DIE SECUNDO.

DIE TERTIO.

II.

DIE

DIE QVINTO.

DIE SEXTO.

III.

DIE SEPTIMO.

Magisterium à Corde JESV

Discite à me quia mitis sum & Humilis corde. Matth: 11.

NB. Ante hoc fundamentum irrepsit error typographi qui iterum 200. pro 300. posuit numero. sed per dies distinctæ materiæ, licèt sub iisdem repetitis numeris, errori consulunt.

DIE OCTAVO:

Ab Octiduo Sacro conſummato; roborando, conſervandoq; Spiritui

col-

collecto, Apostolicis concepta verbis, *Propter quod inexcusabilis factus es ô homo.* 2do. ad Rom: n. 1mo. Comminatio S. Patris succedentibus diebus expendenda sic.

A. M. D. G.

BIBLIOTH. UNIV. JAGELLONICAE

propositiey dowodu iego / to iest rzeczy tey/
ni Troyce nie wyznawáia: poniewaž przez Ariány/ácz
źnie/iáko sie pokazáło/nas rozumie/my sie znamy/iž nie
wamy Bogá iednego we trzech personách. A przyczy-
czemu ták Bogá nie wyznawamy/ w odpowiedźi ná
propositia náráźiłá sie; á to/iž nas ták Bogá wyzna-
i Pan Jezus/ áni oni napierwßy po Pánu Jezusie
e nabożeństwá Christyáńskiego